X I. 11
17
49 50

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
G
50
NAPOLI

XLII
5
30

XLII
G
~~49~~ 50

70



S. P.

Ordo licet reliquos ſit præſtātiſſim' inter
Cōjugium, heu minium ſæpe doloris habet.


THEATRVM VITÆ HUMANÆ.

A I. I. BOISSARDO VESUNTINO conſcriptum,

Et à THEODORO BRYIO artificioſiſſimis hiſtoriis illuſtratum.

Excuſſum typis Abrahami Fabri, Mediomatricorum Typographi.

Conſcia cōmiſſi ſeu te mens criminis urget,
Siue ſub ignaro corde quis error erit.
Huc ades, et noſtro præſens aſsiſte Theatro
Examenque tuæ conditionis habe.



Iob. 14.

Vita breuis homini ū varijs obnoxia cāſ
Mane viret, languet veſpe, nocte cadit.

Mortales mors certa manet, quātumque pecuh
Poſsideāt miſeri, qui ferat, alter erit.



Pſal. 39.

Computat et parcit, nec q ſit scuerit hæres
Et q̄q̄ alis homine hoc vani' eſt quæret.

Pſal. 49 et 90.



AD CLARISSIMAM PRÆSTANTISSIMAMQUE MATRONAM

Catharinam Heviam, illuſtris & generoſi viri Claudii Antonii à Vienna, Baronis Clerevantii, Copetii, &c. conjugem.

TANTA eſt hodie hujus ſeculi calamitas (Matrona lectiſſima) tã deplorandus rerum omnium ubique ſtatus, ut ſiquis conſideret exactê regnorũ Europæ, maximê Galliæ miſeram conditionẽ, judicabit graviſſimis de cauſis motam iram Dei erga nos. Cauſaſque has ſi diligenter perquiramus, inveniemus malorũ omnium (quib⁹ jam luſtris undecim obruimur) ſcaturiginem demanare ex noſtris peccatis, quibus in noſtrũ excidium ſacroſanctæ Majeſtatis Divinæ furorem irritavimus. Qui in dies magis ac magis exardeſcit, creſcentibus quotidie tranſgreſſionibus noſtris, impietate, injuſtitia, luxu, libidine, avaricia, rapinis, infidelitate, ac cæteris ejuſmodi monſtris, quæ divortium faciunt inter Deum & nos, illiuſque tutela nos eximunt: à qua ſubtracti, tradimur omnibus miſeriis, & afflictionibus, quibus Satanas generis humani atrociſſimus hoſtis ſolet eos, quos ſua tyrannide irretivit, vexare, & horrendo naufragio ſubmergere.. Vtinam (inquit Dominns,

Deut 5 de Iſraëlitis loquens) ſubmittant ſe lubenter, & audiãt
6.& 7. ea quæ Dominus Deus mandat illis per os Moſis. Vtinã cor habeant proclivè ad obediendũ, & ſervandũ mandata mea: ut benè ſit illis, & filiis eorum in æternum. Et paulo poſt ſubjicit. Facies quod bonum videbitur ante oculos Domini, ut benè ſit tibi. Obſerva igitur mandatà, & præcepta quæ mandavi tibi, ut ea facias: Et Dñs Deus tuus ſervabit tibi fœdus, & benedictionem, quam juravit patribus tuis: amabit te, & benedicet tibi, & multiplicabit te. Auferet à te omnem langorem: avertet à te inimicos tuos: benedicet fuctui ventris tui, & terræ tuæ, frumento, muſto, oleoque tuo, armentis vacarum tuarum, & gregibus ovium tuarum.

Omnis fere ſcriptura ſacra plena eſt ejuſmodi benedictionum, quas Deus largitur iis, qui cœleſte numẽ ex tota anima, & toto corde ſuo amant, timent, & venerãtur. Ex quibus facilè eſt judicare, maledictionem Divinam pronam impendêre ſuper eos, qui obſtinatê rejiciunt, & contemnunt obſervationem mandatorũ Dei. Propterea legimus Prophetas & Apoſtolos huic exhortationi aſſiduò inſiſtere, ut peccata noſtra agnoſcamus, ut eorum nos pœniteat, & vitam corrigamus. Neminẽ noſtrûm eſſe puto, qui eò impudentiæ devenerit [niſi planè perditus ſit] ut ſeſe audeat ſubtrahere è numero eorum, qui tranſgreſſi ſunt leges, & mandata Domini. Neque eſt quiſquam, qui non fateatur ſe nimis remiſſè & torpenter auſcultaſſe admonitiones fidelium paſtorum Eccleſiæ, qui aſſiduis concionibus, documentis, & exhortationibus ſtuduerunt nos in meliorem viam reducere: & digito demonſtrare, quàm cũ gravibus morbis, & periculoſis peſtibus animæ noſtræ conflictentur. Nos verò medicos aſpernati, ſalubria neglеximus remedia, aut ſecuri in utramque ſtertentes aurem, corũ admonitiones excuſſimus ingrati, neque eos, qui affectu fraterno nos ad officium reducere tentabãt, audire

volui-

voluimus: ſed ruentes in præceps per omnem debacchandi licētiam, id exiſtimavimus licere quod liberet. Ideo Deus, qui è cœlis inferiora hæc contemplatur & novit, juſtiſſimis de cauſis offenſus, propter ſupinam noſtram negligētiam, vel obſtinatam & pervicacem malitiam, proſequitur nos, & punit omnibus plagis, quib⁹ in furore iræ ſuæ ſolet obruere inimicos nominis ſui. At cùm malorum cauſæ quotidie magis augeantur, nō eſt mirū ſi calamitates publicę multiplicentur ubique, miſerandaque Gallia ad extremam perditionis periodum redacta ſit. Vidimus enim æterno noſtro dolore ſuperioribus annis, tot prędararum urbiū everſiones, incendia, neces hominum omnis ordinis, conditionis, & ſexus [qui partim ferro, partim fame, & morbis extincti ſunt] opes tā publicas quàm privatas ubique exhauſtas, æraria principum, fortunaſque privatorū prædę militum peregrinorum expoſitas: tot matronas nobiles, tot ingenuas virgines libidini ſceleratiſſimorum hominum proſtitutas: Tēpla ſubverſa, & ſolo æquata, loca ſancta polluta: & eos qui ſerviebant Eccleſiæ, per omne dedecus & opprobria ad carnificinam crudeliſſimorum Buſiridum, Phalaridum, & Procruſtiū raptos, & immaniter laniatos Omnia in ſumma jura divina humanaque violata, ſublatam ex hominum ſocietate & conſortio omnem charitatem & humanitatē: Luxu alios & libidine, crapulaque, & ingluvie difluere, alios tenaci ſordidaque avaritia ringi: implacabile vindictæ cupiditate alios æſtuare: dolis malis omnia fœdera, & pactiones diſſolvi: nullo amicitię vinculo conjungi cōſanguineos, propinquos, & amicos: omnem religionē vel atheiſmo ſubverti, vel fuco hypocriſis, falacique pietatis ſimulatione, vel abſurda ſuperſtitione pollui. Quid uſquam gētium videre eſt, quod à fœdiſſimis notis non ſit inquinatum, aut abominanda depravatione corruptum? Interim Chriſtiani volumus vocari, Evan-

gelicæ doctrinæ, Apoſtolorum,& Sanctorum patrum ſectatores,quos puderet, ſi viverent,& longè à ſe tã indignos diſcipulos rejicerent.Mirabimur igitur,ſi Deus miſericordiæ & clemẽtiæ ſuæ oculos à nobis auertat? ſi ruperit ſepẽ ſuæ vineæ, & eam depaſcendã apris, ac feris reliquerit? Noſque,noſtras uxores & liberos fecerit prædã hoſtibus?Hec videmus,& audimus:hęc ſentimꝰ, & his opprimimur: Stupidique, & funeſta tacti lepra perferimns: Neque quiſquã noſtrûm ad cœlum attollit oculos,ut inde imploret auxilium,& ad aſylum miſericordiæ Dei confugiat: Qui non vult mortẽ peccatoris,ſed magis ut cõvertatur & vivat:Qua in re deploratã humanæ naturæ magno animi dolore debemus agnoſcere,& noſmet odiſſe,qui ultro ſciẽtes ac volẽtes in perditionem nos præcipitemus: Et quãtum in nobis eſt ruinam æternã in devota morti capita attrahimus. Cumq; his calamitatibus ſine diſcrimine bonos maloſque implicari,& involvi videamꝰ,uberiorẽ materiã luctûs & lacrymarum debemus inde concipere:Cùm videamus nos deſtitui ope,& præſentia bonorum:ꝓpter quosDeus miſericordiã ſuã effundit in multa malorum millia,quibus parcit clementer,& eorum converſionẽ lõganimis expectat.Cùm autẽ bonos ad ſe recipit,manifeſtè nos docet,afflictionum finẽ nondum advẽtaſſe. At nos tantorum malorum põdere preſſi gemimus, unicam in ſola morte ſtatuẽtes liberationẽ. Mors enim nos ſubtrahet ab ingruentibus mundanarũ tẽpeſtatum fluctibus,&procellis,pertrahetque naufragos ad portũ tranquillitatis:quo adduci nõ poſſumus,niſi ergaſtulo, & cõpedibus hujus carnis expliciti,in cœleſtem ſedem evocemur:Sed cùm Deus nos adhuc ſupereſſe velit, vetetque injuſſos è ſtatione adſignata diſcedere, aſſiduis planctibus, & non fucata pœnitentia ad ejus auxilium
Matth convertamur oportet:diſcamuſque conditionẽ electo
10.16. rum eſſe, Chriſtum ſequi, ut renunciemus nobis ipſis,

&

& tollamus crucem noſtram: Hac via nos præceſſit dux noſter Chriſtus: Nō erit ſervuus major dño ſuo, nec diſcipulus magiſtro. Neceſſe enī eſt per multas afflictiones intrare in regnum cœlorum. Propterea fideles lætantur in afflictionibus, ſcientes quòd tribulatio parit patientiã, Patientia experientiã, Experientia ſpē, Spes autem non confundit, Et ut ſubjicit Apoſtolus. Cùm omnia exactê trutinaverimus, æſtimabim⁹ tēporis præſentis afflictiones conferri non poſſe cum gloria futura, quę revelabitur in nobis. Deus pater cœleſtis qui nihil gerit niſi juſto judicio, nos caſtigat propter delicta noſtra, ut liberos ſuos pater, non ut illos enecet, ſed ut illorum pervicatiam emēdet, & illos meliores reddat. Poſtquam autem redierimus ad meliorem mentem, & pœnitentia anteactę vitæ ducti, lacrymis nō fictis illius imploraverimus opē: ille ut bonus paſtor ovem erroneam propriis tollet humeris & in ovilæ reducet: gaudebitque magis ſuper ove perdita & recepta, quàm ſuper reliquo grege ſalvo: Tunc vibices verberũ, quæ ſuſtulimus, leniet, lacrymas ab oculis noſtris abſterget, & flagella iræ ſuæ comburet. Interim hoc intra nos ſtatutum eſſe debet, nihil nobis eventurum, niſi quod cœleſtis Patris providentia decreverit: Capilli capitis noſtri numerati ſunt: Nihil in humanis rebus fit caſu vel fortuito: Deus, ut bonus eſt, omnia reducet ad ſui nominis gloriam, & ad noſtram ſalutem.

Rom. 5. *Rom. 8.*

Hæc cùm attentiùs apud me meditarer, ut in medio miſeriarum communium aliquam conſolationem excerperem, collegi brevem hunc tractatum: cui nomen dedi, THEATRUM VITÆ HUMANÆ. In eo enim propono, tanquam in frequenti hominum conſeſſu, humanæ vitæ miſerabilem curſum: In qua homo, tanquam in ſtadio laborioſo, perpetuis graviſſimiſque ærumnis exercetur: agitatus crudelitate atrociſſimi hoſtis Satanæ, peccati, carnis, & mundi.

Hi enim cõjuratione concordi conſpirarunt in Deum & in ſalutem electorum. Doceo itaque omnes calamitates, quibus involuti ſumus, demanare ex maledictione, quã primus homo ſuperba rebellione in ſuũ attraxit caput, eique ſe involvit cum tota poſteritate. Et ab hac maledictione nemo ſe poteſt ſubtrahere, niſi miſericordia divina, & gratuita gratia ex ea eximatur: ut ſunt electi, quos Deus adoptavit fide in Ieſum Chriſtũ redẽptorem noſtrum. Hi ſoli exempti è maſſa perditionis æternæ, ſequuntur Chriſtum ſervatorem & ducẽ, onuſti cruce: quæ eſt teſſera militiæ, cui nomẽ dedim^9: & ea diſcernimur ab infidelibus. In vita igitur hac verſamur tanquã in difficili, & laborioſa peregrinatione: ſemper pergentes & progredientes ulterius, neglectis mundi, carniſque illecebris, neque ſuccumbentes violentiæ Principis hujus mundi, ſed perſeverantes uſque ad finem, donec perveniamus ad trãquillum receptaculum, & domum cœleſtẽ, a qua labor, ærumnę, triſtitia, & ſolicitudo exulant: felicitas, gaudium, & quies æterna permanent in ſæcula. Reliqui qui juſto Dei judicio relinquuntur in maledictione illa naturali, in qua concepti & nati ſunt, ne legitimam ignorantiæ prætexere poſſint excuſationem, & culpam diluere, ad legis cognitionem pertrahuntur. Lex enim Domini propoſita eſt omnibus hominibus, ut ex ea diſcãt, quam perfectionẽ ab iis requirat Legiſlator: in ea tanquam in claro ſpeculo agnoſcunt, quàm turpibus notis, quã ignominioſa labe deformati ſunt omnes per ſe: & hac cognitione ad pœnitentiam adduci neceſſe eſt eos, quib^9 ſua ſalus curæ eſt: cùm perfectiſſimæ Legi perfectè nõ poſſint ſatisfacere: audiantque Dominum dicentem: Quicunque defecerit in uno horum mandatorum, erit omnium reus: Hac ſententia attoniti, quærant oportet remedium illud ſalutare, quod propoſitum eſt omnib^9 peccatoribus in Chriſto benedicto. Quamvis autẽ hæc

medi-

meditatio tam ad pios quam impios pertineat: magnũ tamen diſcrimen eſt inter utroſque. Nam boni cognitione ſuę imperfectionis (quam ex Legis ſeveritate addiſcũt) ab ipſa lege, tãquam à pædagogo, manu ad Chriſtum adducũtur: in quo inveniunt integram ſatiſfactionem, & obligationis ſolutionem: participeſque facti juſtitiæ Chriſti [quem amplectuntur, & illi adhærent vera & viva fide] cum omni fiducia clamant Abba Pater. Fidejuſſorem enim habent agnum Dei, qui tollit peccata mundi: qui ſuos electos tam benignê, tam clementer ad ſe vocat: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. *Ioan.5.* *Mat.8*

At reprobi, qui obſtinatê voluntati Dei rebelles ſe præbent, ab hac clementia excluduntur. Cũ enim pertinaciter recalcitrent, cõtra ſtimulum Legis, à quo urgẽtur, & propter obſtinationẽ cordis ſe illi ſubmittere recuſant, Deũ oderunt, & illum cuperent detrudere de tribunali ſuæ juſtitiæ, ut per omnem ſcelerum licentiá ferri liceret impune. Neceſſe tamen eſt eos adduci ad has anguſtias, ut inviti licet, confiteantur Deum futurũ judicem omnium: & unumquenque recepturũ ſecundum ſua opera. His lex tantùm data eſt, ut illos pertrahat in præcipitium deſperationis, cùm nolint cõverti, & tutelæ Ieſu Chriſti ſe ſubmittere: quem tam clemẽter Deus pater indifferenter offert omnibus peccatoribus. Quòd ſi non proſit omnibus æqualiter, ut unicuique propoſitus eſt: culpa condemnationis redũdat in rebelles, & reprobos, qui ſuperbê rejiciunt remediũ neceſſarium, & unicuique ſine diſcrimine oblatum.

In hoc tractatu propono, quomodo malorum inobediẽtia fructus mortis producat, cùm ex ramis putridis, non niſi putridi fructus generari poſſint: & his irá Dei provocant, & condemnationi ſe implicant: Quòd demonſtro pluribus hiſtoriis, deſumptis ex verbo Dei, & ex Poëtarum ſcriptis: omnia reducens ad Decalogi di-

ẽ

vini normam, contra quam hæc geruntur: Narrationē-
que meam picturis illuſtro earumdem hiſtoriarum pi-
ctura, ut lectio jūgatur ſubjecto, quod oculos delectet.
Inde diſcent fideles, qui in hoc mundo quiſquiliæ, &
catarmata ab hominibus ejiciuntur & exploduntur, ſi-
bi in cœlis proſpectum eſſe optimê. Malos autem, qui
per omnem licentiam polluuntur diverſis criminibus
licet in hac vita deliciis fruantur, diique judicentur, &
honoribus cumulentur: hos tamen oportet ſiſti ante
tribunal Dei, & coram ſanctis omnibus rationem red-
dere omnium, quæ in hoc mundo injuſtê egerunt: Au-
dient enim ſententiam illam horrendam judicis irati:
Ite maledicti in ignem æternum, & in gehennam, quæ
præparata eſt Satanę, & omnibus ejus aſſeclis, ubi eſt e-
julatus & ſtridor dentium.

Hoc opuſculum cùm abſolviſſem, id volui ſub tuo
nomine in lucem emittere: quòd ſemper animàdver-
terim te meditationi rerum ſacrarum, & ad noſtram
ſalutem pertinentium deditam eſſe. Simul etiam, ut
aliquod meæ gratitudinis teſtimonium reddam erga
te, propter ſingularem benevolentiam, qua me hacte-
nus proſecuti eſtis, non ſolùm tu, matrona lectiſſima,
ſed illuſtris & generoſus pię memorię vir tuus, magna-
nimique filii tui, qui me prçceptore uſi ſunt. Quos ſi
Deus eſſe ſuperſtites voluiſſet, iis patronis abſoluturus
eram curſum vitæ meæ tranquillum & felicē. At cùm
ad cœlos tranſlati ſint, ęquum eſſe duxi, tibi hoc quale-
cunque eſt dedicare. Si meum laborem probes, eūque
excipias ea frōte, qua ſolita es amplecti officia eorum,
qui tibi ſuum ſtudium conſecratum eſſe cupiunt, opti-
mê mecum agi putabo, & eum ſcopum attigiſſe quem
mihi propoſui. Deus te ſalvam & inco-
lumem cum liberis ſer-
vet, Vale.

Tui ſtudioſiſſimus, I. I. BOISSARDUS.



PETRI LEPIDI METENSIS REGIORUM NEGOTIORUM SUMMI PROCURATORIS apud Mediomatrices, Virdunenſes, & Tullios

TETRASTICHVM

In effigiem Boiſſardi à Theodoro Bryio ſculptam.

Cous Alexandrum ſi nobilitavit Apelles,
Dum pinxit docta Principis ora manu;
Iane, tuum illuſtrat Theodori induſtria vultum.
Qui tanto heic pictus cernitur artifice.

IN I.I. BOISSARDI EFFIGIEM

PAULUS MELISSUS COMES SA-
cri Palatii Eques,& civis Romanus.

CVjus heic labia & genas camamque,
Lector,eminulam virente lauro
Admirantibus inſpicis Camœnis,
Boiſſardus meus eſt vetus ſodalis,
Amicuſque bonus,velutque frater.
Mî verſatur in evidente lingua:
Inque ipſis oculis perenne fertur:
Omnis hæret in intimis medullis.
Diverſo varius colore pictor,
Veſtium Phrygio nitore textor,
Carminum Latio decóre fictor.
Ternis muneribus remuneravit
Me ſodalis,amicus,atque frater,
Pictura, & Phrygia plica,& poëſi.
Quei diſcederet à ſonante lingua?
Quei relinqueret is meos ocellos?
Aut quei deſereret meas medullas?

Ejuſdem Meliſſi in Theatrum vitæ humanæ
à Boiſſardo conſcriptum.

Qui feriari & otiari haud ſuſtines
Boiſſarde, luci das ſubinde quæpiam

Queis

Queis erudímur, ductitamurque ad benè
Piéque vivendum. Theatro jam vacas
Mortalis ævi, vitam ut immortalium
Sapienter adipiſcamur, expertes mali,
Bonique conſortes. Monendo talia,
Homineſq; ab æternæ eximendo vi necis,
Vitam mereris ipſe: Eandem aliis quoque
Dignê procuras, quantum in ipſo te ſitũ eſt.
Atqui talentum, quod tibi Deus credidit,
Sepelire parcis. Vt bonus daniſta ſis
Et liberalis, haud quidem uſuram in tuam
Quæſtumve, rem ſed utilemque in millium
Complurium uſum! Sic lucrifactum probê
Et feneratum quis beneficium neget?

I. I. BOISSARDI VESVNTINI IN THEATRUM VITÆ HUMANÆ.

ANTE obitum felix, ſupremaque funera nemo eſt:
Nulli ex parte omni vita beata fluit.
Ætatẽ ordimur lacrymis: metimur eandẽ
Sudore: hæc fato non meliore fluit.
Tutiùs Adriacum tonſis diverberat æquor,
Et formidatas navita ſulcat aquas,
Quàm vitæ ſpatium, quod nos decurrimus: in quo
Cladibus, & mæſto plena labore via eſt.
Aſpice ut in vaſtis immerſa eſt noſtra procellis
Prora, & quàm horrẽdo proxima naufragio?

Vt fragili ſcopulis illiſa eſt lintre Capharei!
Mergitur ut cæcis obruta puppis aquis!
Mille hinc circunſtant Scyllæ, mille inde Charybdes:
Deſuper horrendo fulmine cuncta tonant.
Nimboſæ obſcuro glomerantur in æthere nubes:
Et crepat effuſæ grandinis imbre polus.
Aëra ſuffundit denſis Libitina tenebris,
Et mors Letheo furva pavore furit.
Nulla Pharos portum ſublato lumine monſtrat:
Nullaque in incerto littore poſta ſalus.
Nì Deus, ex alto qui deſpicit omnia cælo,
Eximit è vaſto tranſtra ſoluta ſalo.
Vrgens ſecuro tranquilla per æquora curſu
Pendula firmato carbaſa remigio.
Appulimus terræ? tellure incommoda mille,
Mille habitant noxæ, mille pericla latent.
Ingredimur circos, tragicique theatra doloris
Plena, ubi ſors nobis non magis æqua venit.
Sẽper in excubiis vigilant mũduſque, Satanque,
Atque inteſtina proditione caro,
Vt nos peccati pulſos in retia perdant;
Conficiatque fera mors inopina manu.
Aſſiduè trucibus vexamur ab hoſtibus: & nos
Difficili exercet ſors mala militia.
Nec mora, nec requies homini datur: in caput unum
Vndique turmatim ſe mala cuncta rotant.
Dũ nos mæſta tenent malè fidæ ergaſtula carnis,
Immenſis premitur vita referta malis.

Non

Non malè Silenus Phrygio dixiſſe tyranno.
Et cupido verbis inſinuaſſe ferunt,
Vel non naſci homini conducere: Si tamen illum
Naſci fata velint, quàm citò poſſe mori.
Triſtia ne miſeræ videat ſpectacula lucis,
Fortunæ ut ludus ſerviat, atque pila.
At nos fortunæ nomen, caſuſque negamus,
Stulta volubilibus numina ſuſa rotis.
Nos tutela Dei, nos dextera protegit illa,
Sub cuius ſceptro cuncta creata tremunt.
Noſque voluntati illius ſubmittimus ultro,
Vltro & ad illius flectimur imperium.
Is capitis noſtri numeratos eſſe capillos
Aſſerit, & curæ cuncta ſubeſſe ſuæ.
Sic exerceri nos poſcit, ut iſta caduca,
Et mundi vanas deſpiciamus opes.
Ad cælum tota mente aſpiremus, ubi nos
Vita in perpetuum, & gaudia vera manent.
Linquamus terram quibus eſt terreſtris origo.
Atque Epicuræis qui vitulantur haris.
Qui nulla à vitiis turgent virtute redempti:
Quos nulla aut pietas, relligiove movet.
Sardanapalæo quos concitat ebria philtro
Cypris, & Idalio potus amore puer.
Peſtis & humani generis truculenta voluptas,
Et nutrix avidæ crapula fœda gulæ.
Quos Deus æternæ merſos ſub Tartara morte
Igne Erebi, & diro puniet exitio.

AD LECTOREM BOISSARDVS.

CVM Theodorus Bryius Leodienſis, homo vigilans & ingenioſus, collegiſſet ex ſacris literis aliquot hiſtorias, quæ contra luxum & ebrietatem faciunt, haſque cũ duobus filiis Theodoro & Iſraële (patri ingenio & arte paribus) elegantiſſimis affabrè ſculpſiſſet typis; ut vir bonus eſt, & de re literaria meritus optimê, petivit à me, ut aliquid in eas ſcriberem, quod ad picturæ elucidationẽ faceret, & ad lectoris utilitatem pertinere videretur. Tãtillum officii non potui amico denegare; cùm in illius gratiam nihil velim ſubterfugere aut detrectare. Diſtribui ergo ſingula in certum ordinem, quem ad Decalogi præcepta accommodavi: addidique reliqua, quæ ad abſolvendum opus videbantur neceſſaria: Placuitque hũc tractatum nominare Theatrum vitæ humanæ: *quòd in eo repreſentetur tam ſcripto, quàm pictura, quàm variis miſeriis & calamitatibus homo dum vivit ſubjectus eſt: cui aſſiduò eſt confligandum cum acerrimis ac truculentiſſimis hoſtibus, diabolo, carne, & mundo, à quorum violentia & oppreſſione ſola Dei miſericordis ope, & auxilio liberari potis eſt: Res ſi mihi benè ſucceſſerit (ſuccedet proculdubio benè, ſi tibi placuerit) gratulabor mihi, tibique, Lector candide, debebo quicquid ex ea laudis conſequar. Accipe igitur libellum hunc qualemcũque, atq; eo fruere: & feliciter Vale.*

THEA-

THEATRVM VITÆ HVMANÆ.

CAPVT I.

VITA HVMANA EST TANQVAM Theatrum omnium miſeriarum.



Vita hominis tanquam circus, vel grande theatrum eſt:
Quod tragici oſtentat cuncta referta metus.
Hoc laſciva caro, peccatum, morſque, Satanque
Triſti hominem vexant, exagitantque modo.

VITA hæc quam vivimus mortales, vita dici neutiquam debet; ſi probè cõſideremus quãtis incommodis involuta ſit, & immerſa. Theatrum eſt potiùs omnis luctus, dolorum ac miſeriarũ: in quo nihil conſpicimus, quod nõ ſit graviſſimum deplorandum, & moleſtiſſimum. Et cùm homines hominum cauſa generati ſint, ut ipſi inter ſe alij aliis prodeſſe poſſent: hoc natura præſcribit, ut homo homini quicunque ſit, ob eam ipſam cauſam tantùm, quòd is homo ſit, conſultum velit: cùm inter omnes requiratur ſocietas quædam. Atque ut magnas utilitates adipiſci debemus cõſpiratione hominum, atque conſenſu, ſic nulla tã deteſtabilis peſtis excogitari poteſt, quæ non homini ab homine naſcatur: ut nõ abs re dictum ſit: homo homini Deus: homo homini lupus. In vita hac nihil eſt, niſi propagatio miſerrimi temporis. Sed obſecro, Quid eſt in hominis vita diu? Nihil ſanè diuturnum videtur, in quo eſt aliquid extremum. Cùm enim id aduenerit, tunc illud quod prçterit effluxit. Quæ çtas longa eſt? aut quid omnino homini lõgum? Nonne modò pueros, modò adoleſcentes in curſu à tergo inſequens, nec opinantes aſſecuta eſt ſenectus? Omnia iſta perinde ut cuique data ſunt pro rata parte à vita longa aut brevia dicuntur: horæ cedunt, & dies, & menſes, & anni: nec præteritum tempus unquam reverti-

vertitur; nec quid ſequitur ſciri poteſt. Quis eſt, quamvis ſit adoleſcens, cui ſit exploratum ſe ad veſperum eſſe victurum? Senſim ſine ſenſu ætas ſeneſcit: nec ſubitò frangitur, ſed diuturnitate extinguitur. Nihil ſemper floret: ætas ſuccedit ętati: volant anni, vires debilitantur, corpus flacceſcit, ſenſus hebetantur, formæ dignitas aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate. Nihil in ſuo ſtatu diu manet. Nemo cõfidat ſemper ſibi illud ſtabile & firmum permãſurum, quod fragile & caducum eſt. Quæ poteſt eſſe in vita iucunditas ſolida, ſi res humanas, earumq; inconſtantiam ſeriô perſcrutemur? cùm dies ac noctes cogitandum ſit iam iã eſſe moriendum. Nemini enim exploratum eſſe poteſt quomodo habiturum ſit corpus, non dico ad annum, ſed ne ad diem integrum. Circundant hoc corpus imbecile & fragile, mille morbi, & dolores, cruciatuſque innumeri. Animum percellunt, & à ſua ſede dimovent curæ, metus, ſolicitudines, affectus inordinati, & paſſiones infinitæ: à quibus nulla ratione, nullo conatu nos poſſumus extricare, vel expedire. Ingredimur hãc vitam lacrymis, ſudore metimur, abſolvimus lãgore. Et ab hac conditione nemo cuiuſcunq; ſtatus ſit, ſe potis eſt eximere. Prima ætas ævi ſe neſcit: media curis obruitur, ultima ſenectute moleſta premitur. Novit paucos ſecura quies: finis alterius mali, gradus eſt futuri. Quemcunq; miſerum videris hominem ſcias: O fallacem homi-

num ſpem, fragilemq; fortunā, & inanes noſtras cogitationes, cōtentioneſque, quæ in medio ſæpe ſpatio frangūtur,& corrūt;u& antè in ipſo portu obruuntur,quàm portū conſpicere potuerint. O volucrē vitæ ſtatū.Quam citò omnia ex lætitia & voluptate ad luctum & lacrymas recidūt. Homines nos eſſe meminerim⁹ ea lege natos,ut omnibus calamitatum telis propoſita ſit vita noſtra: neque eſſe recuſandū, quo minus ea qua nati ſumus conditione vivamus.Neve tam graviter eos caſus feram⁹, quos nullo cōſilio vitare poſſimus: eventiſq; aliorum memoria repetendis, nihil accidiſſe novi nobis putemus. Levat dolorem cōmunis quaſi legis,& humanæ conditionis recordatio. Præter culpam & peccatum homini accidere nihil poteſt, quod ſit horribile,aut pertimeſcēdum. Cùm enim culpa caremus, quicquid acciderit, placatè & moderatè feramus. Neceſſitas ferendæ conditionis humanæ, quaſi cū Deo pugnare prohibet; admonetque eſſe nos homines: Quæ cogitatio magnopere luctum levat;efficitq; ut quicquid nobis acciderit, fortiter ac ſapienter toleremus.Ratio impetrat,quod dies impetratura erat:nempe conſolationem, ac luctus diminutionem.Stulti enim aliter ferunt inveterata,aliter recentia. Senſim ac pedetentim progrediens dolor extenuatur: non quod ipſa res immutari ſoleat, aut poſſit: ſed id quod ratio debuerat, uſus docet minora eſſe ea,quæ ſunt viſa maiora.Quicquid

quid nobis contingit, Dei providẽtia nobis evenire ſtatuendum eſt:ſine qua ne capillus quidem & noſtro decidit capite; Numeratos enim capillos capitis noſtri Chriſtus aſſerit:ut nos ab anguſtiis nimiarum curarum extrahat. Omnes noſtræ ſolicitudines in manu Patris cœleſtis reponendæ ſunt. Is benignè nobis providebit de omnibus neceſſariis. Nolite ſoliciti eſſe in craſtinũ: Quærite primùm regnum Dei,& iuſtitiam eius, & reliqua ad vitam neceſſaria adiũgentur vobis. Scit enim Pater veſter quibus rebus indigi eſtis. Vt ſecunda moderatè ferimus,ſic nõ ſolùm adverſam, ſed funditus everſam fortunam placidè ferre debemus. His cõdita eſt vita noſtra difficultatibus, ut nihil ſit à doloribus immune.In ea enim Deus optimus maximus cõmorandi nobis diverſoriũ, non habitãdi dedit. Quod & Gentes(qui Dei notitiam nõ habuérunt, aut ſaltem perexiguam) intellexerunt, turpe eſt Chriſtianos neſcire:aut Dei monitis nõ obtemperare: qui aſſiduitate calamitatum,quibus nos urget, ab amore huius vitæ nimio nos divertit. Præclarè Socrates Axiochum à metu mortis abducit, cõmemoratione miſeriarum, quibus mortalium vita referta eſt. Id enim temporis exiguum ſpatium quod vivimus, nullã in ſe ſui partem continet incõmodis & moleſtiſſimis difficultatibus vacuam. Infans recẽs natus reliquis animalibus longè eſt imbecillior:qui niſi ſolicitè tractaretur, aleretur, ac foveretur,ſta-

Matt. 10.

Matt. 6.

Plato in Axiocho.

tim deficeret, omni ope deſtitutus. Neq; eſt hominum quiſquam, qui ætatem infantiæ vitã exiſtimet optandam:in qua neque corpus, neque animia quicquam habet ſolidi: omnibus organis ad perfectũ opus inutilibus. Vix è cunis emerſit puer;vix ablactatus à nutrice dimittitur,cùm ſtatim à parentibus pædagogi curæ committitur & inſtitutioni: ſub cuius ferula & difficili imperio perpetuo vivit in metu:moroſitatem pręceptoris ægrè tolerans, & eius præceptis ſeſe morigerum præbẽs,flagris ac minis adactus,magis quàm voluntate:ita ut illi pars hęc ætatis ſit quaſi cuſtodia carceris intolerabilis. Ad adoleſcentiam poſtquã pervenit, mille affectibus inordinatis,mille concupiſcentiis hinc inde abripitur:Et quaſi effręnus equus impetu citato in omne malorum præcipitiũ pronus fertur: miſeramq; hanc ætatẽ vix mẽtis cõpos in perniciẽ corporis & animi protrudit. Virilitatem poſtquam attigit,Deus bone!quanta curarum, mœrorũ, anguſtiarum,& ſolicitudinũ mole premitur! quanto cogitationum variarum ardore,& incertorum conſiliorũ numero æſtuat! ut domui prouideat ſuæ, uxori, liberiſq; neceſſaria procuret. Iam avaritia ringitur inſatiabili:Iam ambitione ſolicita flagrat:nunc ſuſpitionibus,invidia, diffidentia, & opinionibus in diverſas partes mens illius abſtrahitur: Nihil tutum,nihil ſecurum circa ſe proſpicit.Contingitque ſæpius,ut quas infinito labore, cura, ſolicitudine cumulaverit

verit opes, incendio, naufragiis, hoſtium incurſu violento, aut alia inopinata calamitate momento amittat, fractus animo ſimul & corpore. Plerumque ſuorum iniuria, & ingratitudine à dignitate cum turpi dedecore detruditur, in exilium mittitur; aut domi inglorius quod reliquum eſt vitę cũ mœrore & triſtitià exigat. Quòd ſi concedatur illi ad ſenectutem pervenire (quæ nos ſive privatim, ſive publicè vivamus furtim inſequitur) nihil in ea ætate non amarum, non imbecillum & debile experitur. Catervatim irruunt morbi, podagræ, paralyſes, catharri, & eiuſmodi incõmoda, quæ ſenium ſemper comitantur: imo ipſa ſenectus per ſe morbus eſt continuus. Diminuuntur ſenſim omnes corporis ſenſus: offuſcatur viſus; obtunditur auditus; infatuatur guſtus, odoratus deperditur; membra mutilantur: nullaque pars eſt in hoc miſerando corpuſculo, quam Natura, tanquam fœneratrix iniqua, nobis non carpat & eripiat tanquam pignori: ut certi ſimus de totius corporis deſtructione & interitu. Ita fiet, ut cùm exactè fueris vitam hominis contẽplatus, ſi particulatim quaſlibet ætates diſcutias, invenies infantiam nihil aliud eſſe, quàm fatuam ſimplicitatem: Iuventutem vanum ardorẽ; virilitatẽ curarum abyſſum: Senectam verò moleſtum lãgorem. Ætatem ſequentem prioris eſſe interitũ: dies noſtros lacrymis refertos: delicias & voluptates lethiferos eſſe morbos animi: opes ac divi-

tias nobis eſſe gehennam & cruciatus: honores vanitatem,& onera intolerabilia:noſtra otia meram eſſe inquietudinem tam animi quàm corporis. Poteſtque hęc vita aptè comparari periculoſę navigationi,in qua fluctuamus aſſiduò,mille terroribus & periculis expoſiti:donec per irrequietum hunc Adriã ſuperatis procellis naufragi enatemus;& perveniamus ad mortis portũ: quę ſola nos è tanto malorum & noxarũ labyrintho eximit & liberat. A malis enim nos abducit mors, non à bonis. Tunc erimus beati,cùm corporibus relictis,cupiditatum & ęmulationum erimus expertes.Non deterret Sapientem mors, quæ propter incertos caſus quotidie imminet, & propter brevitatem vitæ nunquam longè poteſt abeſſe. Hoc meditatum omnibus ab adoleſcentia debet eſſe,mortem ut negligamus: ſine qua meditatione tranquillo eſſe animo quis non poteſt. Qui id quod vitari non poteſt metuit, is vivere animo quieto nullo modo poteſt.Mors terribilis eſt iis, quorum cum vita omnia extinguntur. Cum igitur ſit omnibus moriẽdum, ſtultum eſt, & effœminatum mortem pertimeſcere,quę finis eſt noſtrarum miſeriarum. Ex ipſa vita diſcedẽdum eſt tanquã ex hoſpitio,non tanquã ex domo. Quare id exiguum vitæ ſpatiũ, quod nobis largitur divina benignitas, ita tranſigamus, ut ſemper Deo conditori nos ſubmittamus, ac voluntatem noſtram. Fugiamus ea omnia & ſolicitè vitemus,

qui-

quibus illius ira provocari poteſt: ſtemuſque in eo officio, & ſtatione quæ nobis iniuncta eſt, & à qua ſine imperatoris iuſſu diſcedere piaculū eſt. Omnis noſtra cura in hoc verſetur ſemper ſi poſſumus, ut boni aliquid efficiamus; ſin minùs, ut nihil mali: ſemperque ita vivamus, ut rationem nobis reddendam arbitremur actionum,& cogitationum noſtrarum. A recta enim conſcientia transverſum unguem non oportet quenquam in omni vita ſua diſcedere. Nobiſq; perſuaſum eſſe oportet, ſi Deum, homineſque celare poſſimus, nihil tamen avarè, nihil iniuſtè, nihil libidinoſè, nihil incontinenter eſſe faciendum. Honeſta bonis,non occulta quæruntur. Ab officio viri boni diſcedere nemo debet. Nulla pars vitæ, neq; publicis, neque privatis, neque forenſibus,neq; domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid,neq; ſi cū alio contrahas,vacare officio debet:in eoque excolendo ſita eſt vitæ honeſtas; & in negligēdo turpitudo. At nihil tā tetrū, nihil tā aſpernādum, nihil homine ingenuo indigni⁹,quā turpitudinis labē ſubire. Si in unū locū collata ſint omnia mala,cū turpitudinis malo non erūt cōparanda.Peccatum, à quo demanavit omnis vitæ calamitas, fugiendum eſt,& evitandum,tanquam ſummum malum;quod divortium fecit inter Deum & hominem. Neque tantùm ab iis criminibus cavendum eſt, quæ in actum prorumpunt, omnibuſq; nota ſunt: ſed danda eſt opera in locū demus vel

minimis cogitationibus,quæ ad deliberationem adducere poſſint animos noſtros. Quæ parva delicta videntur eſſe, neque à multis intelligi poſſunt, ab iis etiam diligentiùs eſt declinandũ. Impii ſemper intra ſe cruciantur: carnificem ſecum trahentes malam conſcientiam. Sua quemque frans, & ſuus error maximè vexat: ſuum quẽque ſcelus agitat, amentiaque afficit: Suæ malæ cogitationes, conſcientiaque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ,domeſticæque furiæ:quæ dies noctеſque pœnas à ſceleratiſſimis repetunt. Ratio nobis à Deo data eſt, ut nos ipſos cognoſcamus, & noſtram originem, quæ ad ipſum Creatorem referenda eſt. Ratio reducat ad Deum cogitationes omnes noſtras,& actiones vitæ noſtrę ad eius præcepta accommodet. Neque id excellens donum, quod nobis ab æterno Patre luminum cõceſſum eſt,in fraudem malitiamque cõvertamus. Aſtutiæ tollendæ ſunt, eaque malitia, quæ vult quidem videri ſe eſſe prudẽtiam, ſed abeſt ab ea, diſtatque plurimùm. Nec ulla pernicies vitæ maior inveniri poteſt, quàm cùm in malitia ineſt ſimulatio. Cavenda ſunt igitur deligenter ne nos fallant vitia,quę virtutem videntur imitari. Nam malitia prudẽtiam, magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, liberalitatem effuſio, fortitudinem audacia imitatur,& religionem ſuper ſtitio. Pietatem ſequamur, quæ eſt omnium virtutum fundamentum.Pietate adverſus Deum

ſubla-

ſublata, fides & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus iuſtitia tollatur neceſſe eſt. Pietatis regulas non ex noſtro iudicio, noſtris commentis, aut noſtra ratione, ſed ex Dei verbo ſtatuamus: ex ſacris literis quomodo pii vivere debeant probè edocentur. Deus vult coli, honorari & requiri, non hominum mãdatis, ſed ex ſuo præcepto. Illi iubenti humiliter, & reverẽter obtemperemus; illo loquente cernui nos demittamus, & prompta obedientia illius dictis morem geramus. Omnem vitæ curſum quantumvis difficilem & ærumnoſum patienter toleremus, & alacres tranſigamus: certò ſtatuentes nihil unquã nobis accidere fortuitò, ſed ex illius providentia & volũtate. Homo ſe morti priùs quàm vitæ parare debet, atque ideo putare extremum ſemper ſibi diem adeſſe. Hæc eſt enim hominis cõditio, ut quàm citò in lucem exeat, moriturus exiſtat. Stat ſua quique dies, breve & irreparabile tẽpus omnibus eſt vitæ: Omnes una manet mors; & calcanda ſemel via lethi. Vt ſunt humana, nihil eſt perpetuum datum. In luctu & miſeriis, mors ærumnarum requies, non cruciatus eſt. E vita tamen hac ſponte noſtra non licet exire. Vetat dominus ille in nobis Deus illius iniuſſu hinc demigrare. Piis omnibus eſt anim⁹ in cuſtodia corporis retinendus; nec iniuſſu eius, à quo ille eſt nobis datus, è vita diſcedendum eſt: ne munus aſſignatum à Deo defugiſſe videamur. At ſi quid

tale acciderit,ut à Deo denunciatum videatur,ut exeamus è vita, læti & agentes gratias pareamus: emittique nos è cuſtodia, & levari vinculis arbitremur:ut omni moleſtia ac dolore liberati, animo promptò ac ſecuro ſimus, volenteſque in æternam, & planè noſtram domum remigremus. Sin autem nihil denunciabitur, eo tamen animo ſimus, ut horribilem illum diem aliis, nobis fauſtum & felicem putemus: nihilque in malis ducamus, quod ſit à Deo immortali conſtitutum. Novit Pater ille cœleſtis quid nobis ſit expediēs, quid utile,quid neceſſarium:nihil quicquam nobis deerit eorum,quę requiruntur ad noſtram ſalutem, ſi ex illius providentia pendeamus, & nos illi ultro ſubmittamus.Sive longa,ſive brevis nobis vita concedatur, eam totam ita impendamus, ne à Deo noſtra mens deflectatur.In longo dierū numero nulla felicitas ſtatui poteſt, ſed in meditatione beneficiorum, quæ aſſiduè à cœleſti numine recipimus: & in illius miſericordia, qua nos in Chriſto Ieſu cōplectitur: noſque gratuitò, & perditione generali exemptos ſibi conciliat,& regni cœleſtis heredes facit. Tum demū erimus beati, cùm corporibus relictis,cupiditatū & peccatorum erimus expertes:& præſentia Dei altiſſimi fruemur: eaque vita æterna, quam Deus promiſit iis omnibus,qui Ieſum Chriſtum ſervatorē fide amplexi, remiſſionem peccatorum illo mediante & ſatiſfactore conſequentur. Cùm à principio

cipio

cipio creatus eſſet homo ad imaginē Dei, potuit non peccare: ſed ab eà perfectione, & excellen ti ſtatu, in quo conditus erat, ſuperbia & inobediētia defecit: dejectuſque eſt ſua culpa ab integritate ſuæ originis, ſeque ſimul, ac totam ſuam poſteritatem involvit maledictioni, ac damnationi æternæ. Omne genùs humanū, quod ab impuro primi hominis ſemine propagatū eſt, perditioni eſt dicatum. Ne tamen in deſperationem præceps rueret, ſtatim conſolationem audivit clementiſſimi Dei, qui illi liberatorem, & ſervatorem promiſit: in quem omnium oculos erigi iubet, tanquam in portum noſtræ ſalutis certum, & unicū. Illi quicunque firma fide adheſerit, priori ſtatui, imo excellentiori multò reſtituitur. Adoptantur enim fideles per Ieſum Chriſtū, & filii Dei fiunt, ſanctificati & ſervati gratia: neque illis reſtat ulla condemnatio: Deum habent propitium, & recōciliatum: & ſervitio diaboli excuſſo liberi redduntur: Reliqui verò, qui juſto Dei judicio in ſua cæcitate relinquuntur, ii tota vita peccatis obruti, condemnationem ſibi theſaurizant, ruinam, & mortem æternam: Idque ſua culpa: Nam Deus autor mali non eſt: Quod nos ſeruamur, Dei miſericordia id beneficium conſequimur. Impii & reprobi judicium Dei ſentiunt, ut illius juſtitia manifeſtetur in filios iræ ipſius. Conducit legem Domini nobis ante oculos proponere: ut in ea tanquam in ſpeculo contemplemur,

non ſolùm quales ſimus, ſed quales eſſe debeamus:& quàm longè ab illa perfectione abſimus, quæ à Deo requiritur: ut agnitione noſtræ miſeriæ & imperfectionis redemptionem noſtram æſtimemus: perfectionemque noſtram aliunde, quàm ex nobis petamus: nempe ex Chriſto qui pro nobis fide iuſſor factus apud æternum patrem ſuum debita noſtra ſolvit, & juſticiæ divinæ perfecta obedientia ſatisfecit. Lex igitur pædagogi inſtar, fideles adducit ad Chriſtum: per quem adoptati, & ſpiritu ejus ſanctificati, ex maſſa illa maledictionis eximimur, & filii Dei ſingulari clementia & beneficio gratis redimur.

MVN-

CAP. II.
MVNDI CREATIO.



Qui vaſti attonitus ſpectat miracula mundi,
Suſpicere illius cogitur artificem.
Quod patet in cælis, terraque, marique, diebus
Sex Deus excellens hocce peregit opus.

Gen. 1. IN principio creavit Deus cœlum & terram. Cœlum ſuis luminaribus & exercitibus, aërem volatilibus, terram plantis, herbis, arboribus, animalibus exornavit, & *Gen. 2.* maria piſcibus. Et hæc creatio ſex diebus abſoluta eſt. quievitque Deus à ſuo opere die ſeptimo, & illi benedixit. Cùm Dei eſſentia ſit incõprehenſibilis, eiuſque numen effugiat noſtros ſenſus: quoties inſignem & admirandam hanc mundi fabricam contemplamur, ſtatim obruimur immenſa vi fulgoris; quæ mentes noſtras involvit admiratione Architechti. Nullaque pars eſt huius operis, in qua conditoris potentia, ſapientia, & inſignis gloriæ illius non appareant notæ. Non ſolùm literatis hominibus (qui ſcientiarum cognitione conſiderant aſtrorum cœleſtium ſitus, motus, intervalla, proprietateſque, quæ ex aſtronomiæ doctrina diſcũtur) ſed etiam ipſis literarum rudibus hæc admiranda videtur architechtura:quorum nemo eſt, qui non ſuſpiciat & laudet Majeſtatem divinam, adoret illius ſapientiam, & providentiam in gubernandis omnibus admiretur. Imo ex tantis, & tam excellentibus creaturis, quæ noſtris oculis expoſitæ

ſunt,

ſunt,ſolum hominis corpus, ſiquis benè cōtempletur; nemo eſt niſi planè mentis inops, & expers judicii, qui in eo non agnoſcat ſatis eſſe miraculorum, ad agnoſcendam Dei optimi Maximi bonitatem & potentiam. Vnde Philoſophorum emerſit opinio nos eſſe filios Dei, propter infinitas dotes, quibus Divinitas exornavit hominem. In quo tantum eſt artificium, tam admiranda concinnatio, & harmonia membrorum omnium, tam præclaræ facultates animæ, ut divinitatem quodammodo præ ſe ferat: Et videantur in compoſitione unius hominis concurriſſe omnes Divinæ ſapientiæ theſauri. Cùm certè hæc omnia contemplamur, & conſideramus attētiùs, ea nos debent cogere, ut cernui majeſtati Divinæ conditrici & conſervatrici tanti operis ſubmittamus: unique Deo omnem cultum, omnem adorationem tribuamus: nec derivemus debitam illi obſervantiam ad creaturas, hominesque quantumvis dotibus inſignibus exornatos. Cumque ipſe Deus altiſſimus, infinitus, & ſpiritualis ſit, nec acie oculorum noſtrorum poſſit conſpici; conſtructio mundi hujus, & gubernatio nos poteſt docere quantus & qualis ſit conditor. Illumque judicare convenit ex tanto opere; illum tota mente, ac toto corde amare & amplecti: cùm velit nos in ſe reſpicere; fidem noſtram ad ſe dirigi, coli & invocari à nobis. A ſuis enim virtu-

tibus manifeſtatur Dominus: quarum vim quia ſentimus intra nos, & beneficiis fruimur, vividiùs multò hac cognitione nos affici neceſſe eſt, quàm ſi Deum nobis imaginaremur, cujus nullus ad nos ſenſus perveniret. Neque tamen curioſa temerariaque audacia illius eſſentia nobis eſt diſcutienda: quæ adoranda eſt potiùs, quàm ſcrupuloſiùs diſquirenda. Qui ſcrutatur Majeſtatem illius opprimitur à gloria. Quem cœli & terræ capere non poſſunt, vix facultatibus imbecillis cerebelli noſtri & intellectu concipietur illius infinita & æterna ſubſtantia.

LAPSVS

CAP. III.

LAPSVS SATANÆ.



Cæleſtes Genios perfecta luce creatos
Peccatum horrendo perdidit exitio.
Sub Phlegethonte Satan Cocyti mergitur undis:
Pœna eadem reliquis addita dæmonibus.

DEus ſtatim à principio creationis mundi Angelos, & cœleſtes exercitus condidit, qui Divinitati inſervirent: Ex quibus Satã ſuperbia elatus & malitia, defecit à Deo conditore ſuo: dejectuſque eſt à ſua dignitate, & cœleſti gloria, tãquam Dei inimicus & omnium creaturarum, cum ſuis turmis, & malorum Geniorum legionibus, quæ ſe implicuerant eadem rebellione & ſuperbia. Fuerant enim à principio, & à creatione Angeli Dei in excellenti conditione, & præeminentia conſtituti: ſed degenerando ſeſe perdiderunt: & facti ſunt inſtrumenta perditionis aliarum creaturarum: ideo condemnati ſunt æterni ignis ſupplicio & gehennæ: ut eſt
Iud. 1. apud Iudam. Angelos, qui non ſervarunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine Deus reſervavit: Et Petrus de iiſdem
2 Pet. 2 inquit. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos in judicium reſervari, &c. Quibus locis apertè docent Apoſtoli Diabolum cum ſuis Angelis ſtatim defeciſ-

ſe à principio, & ſuo peccato obrutum, & immerſum condemnationi æternæ. Et hæc malitia, quam illi ſcripturæ ſacræ tribuunt, non ex creatione, ſed ex depravatione illi evenit. Quicquid habet damnabile, id defectione & labſu ſibi accivit: neque quicquam hujus defectus ad Deum eſt transferendum. Ioannes dicit Satanam, quum mendacium loquitur, ex propriis loqui, quia non ſtetit in veritate: Peccavit enim ab initio. Hæc hiſtoria de lapſu diaboli pauciſſimis verbis perſtringitur in libris ſacris: ſed ea quæ ſcripta ſunt debent ſufficere ſobrietati piorum: qui nihil exquirunt in ſcriptis divinis, niſi quod facit ad ædificationem, & eorum ſalutem. Curioſiores autem inquiſitiones & ſupervacaneas procul rejiciunt, utpote nihil ad ſe facientes. Sciamus tantùm diabolum ſua culpa defeciſſe ab ea integritate, in qua conditus erat à principio mũdi: quòd ubique dicatur adverſarius Dei & noſter: Is eſt qui Euam ſeduxit, & Deum tanquam mendacii arguens eum ſuo honore ſpoliavit: Is dicitur ſpargere zizania in agro, cùm dormit pater familias, ad corrumpendum vitæ æternæ ſemen. Et Chriſtus ipſe teſtatur. Satanam ab initio fuiſſe mendacem & homicidam. Atqui hæc patrantur ab eo facinora, ut mendaciis veritatem Euangelii oppugnet, hominumque mentes diverſis implicet erroribus: odia & contentiones ſuſci-

Ioã.8. *1. Ioã. 3* *Gen. 3.* *Matt. 13.* *Ioã.8.*

tet: Dei regnum evertat, & nos in æternum interitum ſecum præcipitet: ut eſt omnis malitiæ & iniquitatis auctor, dux, & architechtus: Cavendum eſt igitur ſedulò ab illius inſidiis: quibus reſiſtendum fortiter. Neque committendum eſt ut illius illecebris tanquam laqueis aut caſſibus impliciti pertrahamur in perditionem. Nihil cum eo generis humani hoſte truculentiſſimo nobis ſit commercii: neque illius violentiam metuamus: nulla illi poteſtas niſi ab altiſſimo; qui nobis pater eſt: neque permittit nos opprimi, neque tentat nos ultra id, quod conducit & gloriæ ſui nominis, & noſtrę ſaluti.

CREA-

CAP. IIII.

CREATIO HOMINIS.



Primus homo è terræ limo formatur: in ortu
Cuius vera ſui fulget imago Dei.
Ex eius latere exempta eſt animoſa virago,
Cari ſubſidium præſidiumque viri.

HOMO creatus eſt ad imaginē Dei ſumma in dignitate & nobilitate: cui Deus benedixit, & ſubiecit
Gen. 1. terram univerſam: illique dominationem dedit in omnes piſces maris, volatilia cœli, & omnes beſtias reptantes ſuper terram. deditque ei omnes herbas ſementātes ſemen, & omnes arbores in uſum hominis. Ab hac felicitate & excellētia ſtatim defecit Adā. eaque defectione totum naturæ ordinem, ſuamque poſteritatem peſſum dedit: quæ mors animę illius fuit, & alienatio, divortiūque à Deo. Hanc hæreditariam corruptionem veteres vocaverunt peccatum originale: hoc eſt, Naturæ, quæ priùs bona fuerat & pura, depravationem: Quod vitiū ingenitū adferimus ab utero matris, & augemus
Pſa. 51. in dies propria malicia. In iniquitate genit⁹ ſum, inquit David, & in peccatis concepit me mater mea. Omnes ergo, qui ab hoc impuro ſemine deſcendimus, peccati contagione naſcimur infecti: & antequam lucem videamus, jam ſumus coram Deo deteſtāda fœditate inquinati. Natura ſumus omnes irę filii, mortui delictis & peccatis noſtris:
Ioan. 3. Quicquid genitum eſt ex carne, caro eſt: & caro per

per ſe alienata eſt à Deo: ideo renaſci neceſſe eſt ex aqua & ſpiritu ſancto, ut ad Deũ reditus nobis pateat, acceſſio, & reconciliatio. Ita ſe corrupit Adamus apoſtaſia & defectione hac damnabili, ut hæc cõtagio ad totã eius ſobolẽ tranſierit, tanquã à radice ad ramos. Nõ enim ſolùm ſibi, ſed & poſteritati ſuę perdidit ea ornamenta, quę Deus cõditor illi contulerat à prima creatione. Naturaq; illius relicta eſt nuda, & inops omnium bonorũ: factumque eſt, ut à radice putrefacta putridi poſtea prodierint rami, qui ſuã putredinẽ tranſmiſerũt ad alios ex ſe naſcentes ſurculos. Peccatum igitur originale eſt hereditaria Naturę noſtrę pravitas, & corruptio in omnes animę partes diffuſa: Quæ primùm facit nos reos iræ Dei, poſtea profert in nobis opera carnis: quæ ſunt ut, ait Paulus; *Gal. 5.*
fornicatio, immũditia, impudicitia, luxuria, Idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſentiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, obtrectationes, commeſſationes, & his ſimilia; quæ qui agunt, regno Dei excluduntur: quòd ira provocat Divinam, vt mortem conciliant æternã. Sicque depravata eſt hominis natura, ut illius mens cæcitati, & cor maliciæ perpetuò ſit addictum. Omnes affectus carnis & cogitationes inimicitiæ ſunt adverſus Deũ: Qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt: Prudẽtia carnis mors eſt: quoniam ſapien- *Rom. 8.*

tia carnis inimica eſt Deo: Legi enim Dei non eſt ſubjecta;nec enim poteſt: & qui in carne ſũt Deo placere non poſſunt. Propterea toties Apoſtolus regenerationem per Spiritum ſanctum neceſſariã inculcat: ſpiritum adoptionis filiorũ Dei,in quo clamamus Abba Pater: qui dat teſtimonium ſpiritui noſtro,quòd ſumus filii Dei: Deponite veterem hominem,qui corrumpitur ſecundũ deſi-

Ephe.4 deria carnis. Et renovamini ſpiritu mẽtis veſtræ: & induite novum hominem,qui ſecundũ Deum creatus eſt,in juſtitia,& ſanctitate veritatis. Tanta

Pſa.62 poſt peccatum invaſit hominem inperfectio, ut ſi libretur cum vanitate, ipſe judicabitur vanior. Non eſt iuſtus quiſquam: non eſt intelligens aut requirens Deũ: omnes declinaverunt;ſimul facti ſunt inutiles: non eſt qui faciat bonum, ne unus

Eſa.59 quidem. Sepulchrum patens eſt guttur eorũ: linguis ſuis doloſè agunt:venenum aſpidum ſub labiis eorum: Quorum os maledictione plenũ eſt,

Pſa.14 & amaritudine. Pedes eorum veloces ad effundendum ſanguinem. In viis eorum contritio, & infelicitas:quibus præ oculis nõ eſt timor Dei altiſſimi. Ex hac certè, corrupta natura nihil poteſt provenire,quod non ſit malũ,& damnabile:omneſq; ſub eadem condẽnatione & maledictione comprehendũtur: cùm omnium linguæ fraudulentæ,manus rapinis,& homicidiis fœdatæ, labia venenata,opera inutilia,iniqua, putrida, lethalia.

quorum

quorum animus ſine Deo:quorum intimæ cogitationes ſunt pravitas: oculi ad inſidias cõpoſiti; animi ad inſultandum elati: omnes deniq; partes ad infinita flagitia concinnatæ,&ab omni virtute alienæ. Si omnibus ejuſmodi portentis obnoxia eſt uniuscujuſque anima, qui fructus ex ea manare,& provenire poterunt? Profectò nulli: neque enim arbor mala bonos fructus gerere poteſt. Nonne vita iſta continuum eſt peccatum? & quò diutiùs nobis prolongantur vitæ dies, eò graviùs delictis ac peccatis oneramur, & obruimur: nihilque nobis reſtaret præter deſperationem, niſi Deus miſericors ſua clementia & bonitate paterna miſeretur noſtri: noſque manu potenti eximeret ex hoc peccatorum barathro, & liberaret à tyrannide diaboli, & ſervitute carnis: contagionemque hanc naturalem ſanaret in ſuis electis: quos vivificat ſpiritu Chriſti redemptoris, & ſuſtentat benigniter. Reprobis verò frænũ injicit,& lupato coërcet, impeditque eorum machinationes, conſilia,conatuſque, ne in actum erumpant, & exequantur ſuum furorem: niſi quatenus expedire videt ad conſervationem univerſitatis rerum.Natura omnium & voluntas ita ſervitute peccati vincta eſt, ut ad bonum per ſe non poſſit commoveri, nedum adplicare. Sed converſio ad Dei clementiam tota eſt referenda. Cõverte me Dñe(inquit Hieremias)& ego cõvertar. *Hie.31.*

Voluntas eſt in homine quidem: velle bonum profectus eſt: velle malum defectus. Hoc eſt: Benè velle, eſt gratiæ: malè velle, corruptæ naturæ.
Phil.1. Cùm autem Paulus dicit ſe confidere, quòd qui cœpit bonum opus in Philippenſibus, perfecturus ſit uſque in diem IeſuChriſti. Per hoc bonum opus intelligit converſionem, quæ eſt in voluntate: corda noſtra flectendo, formando, dirigendoque in juſtitiam, & confirmando ad perſeverantiam. *Eze.36* Dabo vobis cor novum (inquit Dominus per ſuum Prophetam) ſpiritum novũ ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra: & dabo vobis cor carneum: & faciá ut in præceptis meis ambuletis. Certum eſt, niſi Dei clementia & bonitate ſingulari juvemur, nos nihil poſſe præſtare per nos quod illi poſſit placerè. Nam cùm mali ſimus natura, nihil poteſt ex nobis provenire quod malum non ſit, & ſimile ſcaturigini, unde noſtra opera procedunt: ex carne enim nihil niſi peccatum oritur, quod hominem alienum à Deo reddit, & abducit à ſpe vitæ æternæ: niſi renovetur ſpiritu, & regeneretur in novum hominem. Expurgantes vetus illud fermentum, quod carnem tantum ſapit, & illius concupiſcentias & depravatas voluntates nutrit & fovet: offuſcatque judicium hominis, neque permittit ut viam rectam ſalutis agnoſcat, & in ea ambulet. Ná caro quæ carnis ſunt ſapit, & à Deo ſe prębet alienam.

PRI-

CAP. V.

PRIMI HONINIS DEFECTIO. Gen. 3.



Serpenti ne præbe aures: præcepta Tonantis
Vocibus uxoris ſint potiora tuæ.
De vetitæ fructu comedes quando arboris, illo
Te vinctum rapiet mors inopina die.

CONDITUS erat Adam ad imaginem Dei: & ratione prædicus, ut tota mẽte ad meditationẽ vitæ æternę, & virtutis ſtudium erigeretur: Deumq; conditorẽ ſuũ cognoſceret, coleretque, & illi ſubjiceretur: illi data erat Eva vitæ ſocia, ne ſolus degeret, poſitiq; in Paradiſo Edẽ: & poteſtas conceſſa comedendi de omnibus fructibus: de ligno autẽ ſciẽtię boni & mali ne comedas (inqt Deus) In quacunq; enim die comederis de eo, morte morieris. Sed ſerpẽs dixit ad mulierẽ: Cur præcepit vobis Deꝰ ut nõ comederetis de omni ligno Paradiſi? Scit enim quòd in quocunq; die comederitis de arbore ſciẽtię boni & mali, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut Dii, ſcientes bonũ & malum. His perſuaſa mulier comedit de fructu vetitæ arboris, & dedit viro ſuo: hiſque ſtatim ſunt aperti oculi: & cognoverũt ſe nudos eſſe: & ſe abſconderũt. Factumq; eſt ut hac inobediẽtia & lapſu divinæ maledictioni ſint addicti. Prima nobilitas in qua erat creatus Adam, ingẽs erat Divinæ benedictionis & bonitatis beneficium: à quo excidit inobedientia, quæ ex ſuperbia manavit: Cui acceſſit dolus Serpentis, qui Evæ impoſuit. Ea enim infidelitate obcęcata, maritũ ad peccatũ hortata eſt. unde emerſit ambitio, & in-

Gen. 2.

& ingratitudo, dũ contempto Dei mandato, turpiter à ſua origine deciderũt: Pręcepti certè, finis erat, ut ſua ſorte contẽtus homo, nõ ſineret ſe efferri mala cupiditate. Temeritas impia in eo apparuit, cùm ſuperbè cõditoris ſui juſſui nõ obtẽperans, æqualẽ ſe Deo eſſe voluit; prophana apoſtaſia Dñi ſui jugum excutiens: ſubſcribẽſque calumniis Satanæ, qui fœdiſſimis & execrabilibus probris Deum mẽdatii arguebat, invidiæ, & malignitatis: cũ diceret: Nequaquã moriemini: Sed novit Deus quo die comederitis de fructu hoc, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum: Ex hoc cõtemptu Dei & infidelitate porta patuit ad ambitionem, quæ cõtumacię mater fuit. Quòd ſi verbo Dei ſui audiens fuiſſet, optimũ adhibuiſſet frænũ ad omnes affectus ritè tẽperandos: nihil melius eſſe quàm Dei mandatis parẽdo, colere iuſtitiam: ac ultimã vitæ felicis metã eſſe, ab ipſo diligi. Prima igitur Adæ vita erat manere conjũctum opifici ſuo, & devinctum. Sed alienatio ab eo fuit animæ interitus. Noluit tamen Deus miſerum hominem in hac morte proſtratum proſus deſerere: Sed illũ ſtatim poſt lapſum ſublevavit promiſſione Meſſiæ; in quo Adã ac ejus poſteri recõciliarentur, & vitã æternã adipiſcerẽtur. Sicut enim per unũ hominẽ peccatum in hũc mundũ intravit, ut per peccatũ mors: & ita in omnes homines mors pertrãſivit: Si unius Adami delicto multi mortui ſunt, mul-

Rom.6. to magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Ieſu Chriſti in plures abundavit. Nam judiciumex uno in condemnationem,gratia autem ex multis delictis in juſtificationem facta eſt. Et ſicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi : ita per unius obedientiam iuſti conſtituentur multi. Hic eſt ille redemptor generis humani Chriſtus quē Deus

Gen. 3. Adamo ſtatim poſt peccatum promiſit : Dixit enim ſerpenti : Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus: de Chriſto nempe loquens qui ex Maria virgine debebat naſci.

LEX

CAP. VI.

LEX DATA. Exo. 20.



Primum hominem morti peccatum obſtrinxit: & eius
Poſteritas ſimili ſubdita iudicio eſt.
Lex data: qua mortale genus monitrice docetur
Ad veram ducat quæ via iuſtitiam.

HOMO poſt lapſum Adami eadem maledictione implicitus eſt, qua primus omnium pares, qui à Deo defecerat: Et morti æternæ addictus, non poterat ex tãta ruina aſſurgere, neque è tam horrendo emergere naufragio, niſi Dei beneficio aliquid opis illi fuiſſet collatum. Deus enim temporis ſucceſſu Legem ſuam per Moſem publicavit, ut revocaret in viã rectam eos qui perditi erant. At lex oſtendebat non ſolùm verum Dei ſummi cultum, ac pietatis regulam: ſed tanquam ſpeculum fuit hominibus, ut ſeſe cognoſcerent obſervationi illius impares eſſe: & horrore judicii cogerentur ad remedium confugere: quod proponebatur in Domino noſtro Mediatore & propiciatore. Ad quem non poſſumus venire, niſi propriæ virtutis opinione vacui, & propriæ juſticiæ fiducia exuti, fracti & contuſi conſcientia noſtræ ægeſtatis, diſcamus humilitatem, ac dejectionem noſtri. Lex enim noſtram pungit conſcientiam: atque intrinſecus monitrix eſt eorũ, quę Deo debemus: Cùm boni ac mali diſcrimen nobis proponit: noſque reos judicii pronũciat: ſi ab officio tantillũ diſcedamus.

damus:Quicunq;ſervaverit totã legẽ,& defecerit in uno,erit omnium reus. Deo gloriã,honorẽ,reverentiam debemus,ac timorem : Nõ ſumus noſtri iuris:ab eius nutu nos ſuſpendi oportet: Cũq; juſticia ac rectitudo illi ſint cordi , iniquitas verò abominationi,niſi velimus ab eo deficere, & apoſtaſię damnari,neceſſe eſt tota vita juſtitiam à nobis coli,ac pręſtare ſanctitatem,& vitę puritatem. Neq;,cùm ſolvendo nõ ſimus , tergiverſari & excuſare decet defectum noſtrum, & facultatis noſtræ inopiã. Deus ſemper ſui ſimilis eſt,juſtitię amator,iniquitati infenſus: neq; quicquã cũ peccatoribus habet cõmercii : Quod in ſua lege exigit à nobis,id ex naturæ obligatione obſequendi neceſſitas nos monet: Quod autẽ non poſſumus, id eſt noſtri vitii,ac culpæ quæ ex nobis eſt, nõ ad Creatorẽ cõferenda:Malum in nobis eſt,& nobis imputãdum. Quicunq; igitur ex operibus Legis ſunt,ſub maledicto ſunt,ut ſcriptum eſt:Maledictus qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis,ut faciat ea. At in lege nemo juſtificatur apud Deum : ſed juſtificatus ex fide vivit. Chriſtus nos redemit de maledictio Legis,factus pro nobis maledictum:ut ſcriptum eſt: Maledictus qui pendet è ligno. Propter trãſgreſſionẽ poſita lex eſt,donec veniret Chriſtus.Stipẽdium peccati mors : ſtimulus mortis peccatũ eſt. Virtus peccati Lex.Quæcũq; Lex loquitur,iis qui

Gal. 3. *Deut. 27.* *1. Cori. 15.* *Rom. 6.* *Rom. 3.*

ſub Lege ſunt loquitur:ut omne os obſtruatur,& ſubditus ſit omnis mundus Deo. Quia ex operibus Legis nō juſtificabitur omnis caro corā Deo:
Roma. 10.& 3 Gal. 1. Per legem cognitio peccati: Et Lex iram operatur. Finis igitur legis Chriſtus eſt: & iuſtitia Dei per fidem illius in omnes, & ſuper omnes qui credunt in Ieſum Chriſtum; qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris,ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam. Quicunque venit ad illum, miſericordiam conſequitur, & ſublevationem à peccatis ſuis: quæ Chriſtus in ſe recipit, & pro iis precium juſticiæ divinæ ſolvit, ne ſolutio à nobis exigatur: cui ſolvendo nemo mortalium, quantumvis juſtus & integer,unquam eſt inventus.

LEX.

CAP. VII.

LEX AD CHRISTVM DVCIT.



Lex hominem oſtendit nudum, & virtutis egentem:
Non quis ſit, ſed quis debeat eſſe monet.
Ducit & ad Chriſtum: qui nos à morte redemptos
Æterno vitæ munere ſanctificat.

CVM ad Legem Dei vitam noſtram, ac vires noſtras expēderimus, ſentiemus toto cœlo nos abeſſe ab ea juſtitia & perfectione, quā Deo juſto & perfecto debemus, ſi velimus illi conjungi, & ab eo recipi. Hinc metus, horror, ac trepidatio in nobis oritur, ſummaque cordis anxietas, cùm iniquitatum noſtrarum pōdus non poſſit conſcientia noſtra ſuſtinere: ſibiq; repreſentet, ponatque ante oculos irati Dei judicium, ac condemnationem æternam, quę propoſita eſt iis, qui Legi ex omni parte non ſatisfaciūt.
Deut. 27. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quę ſcripta ſunt in libro Legis hujus, ut faciat ea. Humiliatus igitur, ac dejectus horrore perditionis imminentis, ad Dei miſericordiam, tanquam ad aſyllum unicum, & ſalutis portum ſe convertit homo peccator, qui ſibi conſultum cupit. Non enim ſatis eſt ſentire ſuam calamitatem, & condemnationis judicium, ſi hic ſenſus nos conſternet, & ad deſperationem adducat. Erigendus eſt animus, ac ſolicitè circumſpicere oportet, an ex his anguſtiis poſſimus aliqua ratione, aut ſervatoris alicujus ope
Ioā. 1. eripi. Audimus in Euangelio Ioannem clamantem:

tem: Hic eſt agnus Dei,qui tollit peccata mundi. Is eſt qui livores noſtros ſuſtulit. Is eſt qui fidejuſſor pro nobis apud æternum Patrem eſt præſto. Is eſt qui nos ad ſe vocat: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. *Matt. 11.* Ad Chriſtum igitur nos Lex tanquam pædagogus adducit:hunc ſervatorem nobis proponit: in eo refugium tutum nobis oſtendit:& propiciatorem demonſtrat, in quo liberationem ab obligatione legis invenimus. Chriſtus enim nos redemit à maledicto Legis, factus pro nobis maledictum. Nam ex Lege nemo juſtificatur apud Deum. Quicunque ex operibus Legis ſunt, ſub maledicto ſunt: Sed per fidem in Chriſtum benedictio nobis tribuitur. Concluſit ſcriptura ſcriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credẽtibus. Requiritur autem ut hæc fides vera ſit ac viva: ne aliò lumina deflectat,præterquam in Chriſtum, utq; fructus ſuos producat. Deus, ut indulgens pater,nos ad amorem ſui allicit dulcedine præmiorum; denunciãs virtutibus apud ſe repoſita præmia:neque fruſtra laboraturum qui ſuis obtemperat mandatis. Reprobis quoque, & contumacibus indicit mortis æternæ ſupplicium, & infinitas calamitates in præſenti ſæculo: Anima quæ peccaverit ipſa morietur. *Eze. 18* Quamvis cùm requirit à nobis hanc obſervantiam, poſcit debitum, quod remunera-

tione dignum per ſe nō eſt: Sed cùm remunerat, gratuita gratia remunerat. Lex cùm perfectam requirat juſtitiam, legitimus illius cultus conſtat obedientia, quæ cuſtos eſt omnium virtutum: Eaque non tantùm debet eſſe externa, ſed etiam interna & ſpiritualis: cùm Deus corda ſcrutetur, & interiora mentis reſpiciat. Cùm igitur hæc obſervantia Legis vires hominis ſuperet, Chriſtum habemus fidejuſſorem, & propiciatorem apud Deum Patrem, qui Legis obligationem ſuſtinuit, ut nos ab ea liberaret. In eo nobis propoſita eſt liberatio & ſatisfactio, & ſecuritas conſcientiæ: cùm ſciamus illum revera exequi, quod nobis proponit: eſt enim æterna Dei veritas.

EZE-

CAP. VIII.

EZECHIAS SERPENTEM ÆNEUM DEJICIT.



Ezechias idola Deûm ſubvertit & aras;
Præcipiens pura numina mente coli.
Et quondam à magno conflatum Moſe Nehuſtan
Suſtulit, illius myſtica ſacra vetans.

HOc eſt primum præceptum primæ tabulæ, quæ nos cultum divinum, pietatem, & religionem docet. Cùm debeamus omnia Deo conditori mundi totius, hæc tamen maximè à nobis exigit, Adorationem, fiduciam, invocationem, & gratiarum actionem. Adoratio, eſt cùm illum veneramur & colimus: illius celſitudini nos ſubmittentes, & conſcientias noſtras ſubjicientes legi illius. Fiducia, cùm ex cognitione virtutũ ejus, in èo ſecuri acquieſcimus: Cùm in eo ſapientiam, juſtitiam, potentiam, veritatem, bonitatem omnem reponimus; & ſola illius communicatione nos æſtimamus beatos. Invocatio, Si quoties urget neceſſitas, in ejus fidem & auxilium nos nos recipimus, tanquam ad unicum præſidium. Gratiarum actio, eſt gratitudo, qua laus bonorum omnium illi tribuitur, tanquam autori omnis beneficentiæ. Hæc omnia Deus ſibi jubet conſecrari, neque quicquam horum aliò derivare. Caveatur hic vana ſuperſtitio; qua animi à vero Deo deflexi, huc atque illuc tanquam in varios diducuntur deos.

Con-

Contenti ſint homines uno vero Deo: neque lacerent ejus cultum, quem unus ille ſibi ſoli vendicat. Cavete ne fortè decipiatur cor veſtrum, Deut. 11.
& recedatis à Domino, ſerviatisque diis alienis,
& adoretis eos: & iraſcatur Dominus, claudatque cœlum, &c. Cùm reperti fuerint apud te vir
aut mulier transgredientes pactum Domini, ut Deut. 17.
vadant, & ſerviant deis alienis, & adorent eos, ſolem & lunam, & omnem militiam cœli quæ non præcepi, &c. Educes virum aut mulierẽ, qui rem ſceleratiſſimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, & lapidibus obruentur. Provocatur Deus ad Zelotypiam, quoties figmenta noſtra ſubſtituimus in ejus locum. Cave, ne quando obliviſcaris Nũ. 43
pacti Dei tui, quod, pepigit tecum, ut facias tibi ſculptam ſimilitudinem eorum quæ fieri Dominus prohibuit. Quia Dominus Deus tuus ignis cõſumens eſt, Deus Zelotes. Pura ſit conſcientia vel ab occultſſimis apoſtaſiæ cogitationibus. Cũ Deus interiora noſtra rimetur & cognoſcat, neque illum lateant abſtruſiſſimæ cogitationes noſtræ; quas, ſi malæ ſint, inultas non fore minatur: multo minùs ſi coram eo adulteremus: & honorem, qui illi ſoli debetur, ad alios deos nefando ſacrilegio transferamus: Neque hic fallamur noſtris intentionibus: nos honorare Deum unũ conditorem omnium rerum, in ſuis creaturis. Deus hic ſolus audiendus eſt: neque illi dan-

dus interpres, qui verba præceptorum illius in
Deut. 12. alium ſenſum detorqueat, quàm voluit. Non fa-
Pr. 30. cias quod bonum videtur ante oculos tuos: hæc
facito quæ præcipio tibi, neque addas quicquam,
neque diminuas. Cùm Iſraëlitæ murmuraſſent
contra Dominum in deſerto, ſerpentibus ignitis
graviſſimè ſunt afflicti: cumque eos peccati pœ-
Nū. 21. nituiſſet, Deus eorum miſertus juſſit ſerpentem
æneum erigi, ad quem quicunque erigebat ocu-
los, à morſu ſerpentum ſanabatur: Huic ſerpenti
æneo Iſraëlitæ multis poſt annis honorem divi-
num præſtabant, quòd erectus eſſet Dei juſſu:
4. Reg. 18. Sed hanc impiam ſuperſtitionem non ferēs Eze-
chias rex Iuda, ſimulacrum fregit, & ſacra quæ
illi fiebant in poſterum abolevit: quamvis
hoc ſimulacrum eſſet antea juſ-
ſu Domini à Moſe e-
rectum.

ISRA-

CAP. IX.

ISRAEL IDOLATRA ERECTO VITULO. *Exod.* 32.



Poſt epulas Hebræa Dei gens provocat iram,
Indicens levibus feſta colenda choris.
Et Peluſiacæ conflans Idola iuvencæ,
Incendit Phariis thura profana ſacris.

MENS hominum hebetudine & miſeranda cæcitate laborans, craſſiſſimaq; ignorãtia obruta, pro Deo vanitatẽ,& inania ſpectra ſemper proclivis fuit colere. Neque numen præſens eſſe putavit,niſi corporati aliqua forma oculis exhiberetur. Noverãt Iſraëlitæ tam doctrina parentũ, & majorum ſuorum,quàm inſtitutione Moſis unum eſſe verum Deum:qui ante multa ſæcula ſeſe manifeſtarat patribus Abrahamo, Iſaaco,& Iacobo: ſenſerant & illius præſentiam , potentiã, & auxilium;cùm paulo antè manu forti miraculoſè erepti eſſent de ſervitute Ægyptiorum: In eorum præſentia apertum eſt mare;ſicco pede tranſiit populus per medium ſinum Erythræum, in quo ſubmerſus eſt Pharao cum ſuo exercitu : Cũ tamen Moſes ad Deum conſcendiſſet in ſummitatem mõtis Sinai,eius abſentia pertæſi Iſraëlitæ, cõclamarunt omnes:Neſcimus quid contigit iſti
Exo.32 Moſi:Surge,inquiunt ad Aaronẽ, fac nobis Deos qui nos præcedãt.Quorum importunitate victus Aaron ex inauribus aureis populi vitulum cõflavit

vit

vit fuſilem: dixitque: Iſti ſunt Dii tui, ô Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti: Poſtero autem die, quo ſolennitas ab Aarone fuerat indicta, populus obtulit holocauſta, & victimas pacificas: ſeditque manducare & bibere, & ſurrexit ludere. Reverſus autem Moſes, cùm ſuos inveniſſet tam nefanda deos alienos apoſtaſia ſequi & colere, indignabundus, tabulas lapideas, in quibus Dei digito decem pręcepta Legis ſcripta erant, cōfregit: Dn̄s autem irritatus cōtra prophanos, ſtatuit perdere populum. illiuſque juſſu cæſa ſunt uno die à Levitis viginti tria millia hominum: neve in reliquam multitudinem Dei furor exardeſceret, Moſes pro populo deprecatus eſt. Hinc ſcaturiginē idololatriæ videmus ortam, quòd homines non credant præſentiam Dei, niſi ſub aliqua forma illum ſibi ante oculos repręſentent. Et qualem animo imaginantur, talem ſibi proponi poſcunt. Mens idolum gignit, manus artificis parit. Quod etſi, qui judicio cæteris præſtant, non credant eſſe Deum: illic tamen divinitatem Numinis aliquam putant adeſſe: & ideo ſtatim ad adorationem prolabūtur: Exiſtimantq; Deo gratū eſſe, ſi colatur quoquo modo inventionibus hominū: ac ſufficere illi, dummodo majeſtas Divina nō omnino dejiciatur e ſolio, & illi⁹ potētia nō negetur: Deus aliquādo pręſentiā ſui Numinis exhibuit certis ſignis: ut cū poſteriora ſua demōſtravit

Moſi in ſpecum compulſo: Non tamen, inquit,
Exo.33 videbis faciem meam: quia nemo hominum me
Iudic. 13. poteſt videre & vivere. Apparuit & Manuæ patri Samſonis in ſpecie juvenis. Et Abrahamo vi-
Gen.18 ſus eſt in planicie Mamré inter duos Angelos: cũ quo collocutus eſt, & deprecatus pro Sodomeis, qui paulo poſt horribili perierunt excidio. Ap-
Dan.3. paruit quoque in fornace ignis in campo Dura extra Babylonem, in quam conjecti erant juvenes Sidrachus, Miſacus, & Abdenago: quòd ſtatuam erectam à rege noluiſſent adorare. Sed eæ viſiones factæ ſunt propter cauſas urgentes: neque permiſit ſtatuas erigi quæ illum repræſentarent, ut viſendum ſe præbuerat. Non enim poteſt majeſtas illa divina infinita & incomprehenſibilis rebus quæ ſub ſenſum hominis veniunt exprimi.

LEX

CAP. X.

NINVS ASSYRIORVM REX.



Aſſyrii priſco ſtatuere altaria Belo,
Sacraque thuricremis deveneranda focis.
Hinc mos emerſit claros Heroas ad aſtra
Ferre, & cæleſtes inter habere deos,

G.

BEROSUS tradit Ninum Babyloniæ regem, & Semiramidis maritum, fuiſſe primum, qui poſt generalem diluvii magni inundationem (quæ ſub Noa Iano, ſive Ogyge priſco contigit) erexit imaginem Iovi Belo Iunonique parentibus ſuis, & Saturno Nēbroto Rheæque aviæ: quibus nō ſolùm ſtatuas in media urbe Babyloniorum poſuit, ſed etiam templa ac ceremonias ſacras in eorum honorem, & memoriā inſtituit. Atque illi inter Aſſyrios pro Diis magnis habiti ſunt: ſucceſſuque temporis regū mādato illis honores divini, ſacrificiaque tributa: cū à principio imagines ac templa memoriæ illorū conſecrata eſſent. Ita factum eſt, ut hic imaginum cultus, & idololatria, quæ ab exiguis principiis ortum ſumpſit, longè latéque per totum orbem terrarum dilatata, & diffuſa fuerit: Aſtuque Satanæ (qui Dei hominumque eſt inimicus) promulgata eſt hæc conſuetudo adorandi homines mortuos ab Aſſyriis ad Ægyptios, deinde per totam Aſiam. Et brevi contigit, ut hoc exemplum pervagatum ſit ad reliquas nationes, quæ jam replerant terram coloniis, & frequentibus

habi-

habitatoribus. Quorum unuſquiſque proprios Deos ſibi finxit, ex principibus vel regibus, qui populos pietate, conſilio, beneficentia, vel potẽtia juviſſent, quos poſt mortem, beneficiorum acceptorum memores, inter cœlites conſtituerunt, participeſque fecerunt gloriæ veri Dei (quẽ non ignorabant conditorem eſſe mundi totius) aut illi planè ſubſtituerunt. Tanta ſemper fuit, hominum inſania, ut in religione maluerint ſua ſequi commenta, quàm retinere cultum divinum, à vero Deo ordinatum, & poſteris traditũ à priſcis Patribus. Hi enim ſpreto relictoque Dei mandato, honorem & ſervitutem Divinitati debitam, contulerunt ad Deos fictitios & peregrinos: ſuperſtitionibus nefandis ſeſe inquinantes, & ſacris prophanis iram Dei provocantes. Revelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in injuſtitia detinent. Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis: & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrũ, & quadrupedũ, & ſerpentiũ. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorũ, in immunditiam, ut cõtumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Quia commutaverunt verita- Rom. 1.


tem Dei in mendacium, coluerũt & ſerviverunt creaturæ potiuſquàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula: propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ, &c. Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt. Infandorum idolorum cultura, ut dicitur libro Sapientiæ, omnis cauſa mali eſt, & principium, & finis. Dum lætantur, inſaniunt: vaticinantur falſa; vivunt injuſtè: pejerant citò: Initium fornicationis eſt exquiſitio idolorum: & adinventio illorum corruptio vitæ eſt. Apoſtaſia enim hæc cum impietate invexit inter homines infinita ſcelera, ac vitę totius depravationem.

Sapiē. 14.

ASSY-

CAP. XI.

ASSYRIORVM DEI.



Bifronti Iano divûm ſacrantur honores:
Cuius ſunt pleni poſteritate poli.
Saturno, atque Iove, & Ianone, atque Hercule. Talis
A primo ſeries annumeratur avo.

TANTA fuit omnibus ſęculis hominum temeritas ac cæcitas, ut non viderint neque cognoverint Deo ſoli creatori & cōſervatori totius mundi ſummā autoritatem, reverentiam, & obedientiam deberi. Illi verò ſibi comparari poſſe juſtitiam prętcr Dei verbum aggreſſi, ad novorum deorum cultum & adorationem ſuorum figmentorum ſeſe tranſtulerunt, maliſque & abominabilibus ſuperſtitionibus ſe inquinarunt. Vt contigit. Aſſyriis, qui ſtatim poſt diluvium, Nini tertii regis exemplum ſecuti, innumeros erexerunt Deos. Exiſtimabant enim Majeſtatem illam divinam mundi conditricem infinitam, omnipotentem, inviſibilem, juſtam, miſericordem, bonam, non poſſe exprimi, neque ſubjici oculis hominum, neque poſſe cognoſci qualis ſit, niſi per ſuas creaturas, per quas illius potentia ac bonitas manifeſtatur: maximè per homines qui inſignibus virtutibus, ac dotibus à Deo illuſtràti ſunt: qui conſiliis, auxilio, & doctrina rude genus humanum & infirmum docent, inſtituunt, protegunt, & defendunt: propulſan-

pulſantes ab eis omnem injuriam, & violentiam malorum, a quibus opprimuntur: Propterea Deũ ſummum non invitò illis communicare partem ſui honoris, qui ſemper in autorem redundat. Idem quoque de cæteris creaturis tradiderunt: per quas Deus, vel ſuum judicium, vel miſericordiam exercet ſuper homines: quibus vel reverentiam, vel metum, vel honorem tribuendum docuerunt, & in ipſis Deum colendum: quòd per eas divinæ bonitatis munera in nos ſtillent: Ineptè garriebant Deum nihil aliud eſſe quàm Naturam, ſive arcanam inſpirationem, quæ mũdum vegetat univerſum. Ideo mundum non ſolùm eſſe imaginem Divinitatis, ſed eſſe illius corpus: Quam impiam ratiocinationem refutat ſcriptura ſacra, ac ipſa ratio. Non enim Conditor conſtituitur eodem gradu, quo illius opus: cùm Natura ſit ordo præſcriptus à Deo in rebus creatis. At Dei potentia illius æternitatem ſatis declarat, & principium habere à ſeſe, quòd omnia ab eo ſuam ducant originem: cunctaque, quæ ſurſum ac deorſum ſpectemus, vivam illius imaginem adumbrant. Non quòd oporteat illis adorationem aliquam præſtare, quantumvis excellentia videantur, ſed rectà ad opificem omnium nos decet convertere mentis noſtræ aciem. A ſuis enim virtutibus manifeſtatur Deus: quarum cùm intra nos vim ſentiamus, multò vivi-

dior in nobis eſſe debet hæc meditatio. Et quia non poſſumus illum capere; non propterea debemus ad viſibiles creaturas illius Majeſtatem alligare; ut ad has proſtrati vota noſtra & preces offeramus ſummo Numini; quòd credamus illũ ex ligneis, lapideis, metallicis, corruptibilibuſq; ſtatuis nos reſpicere, & audire; noſtriſque neceſſitatibus ſubvenire, & in periculis nobis opitulari: Hic error (cujus cauſa Deus iratus diluvio mundum univerſum ſubmerſerat) ſtatim invaſit mentes hominum poſt reſtaurationem orbis: etiam vivente adhuc Noa. Cujus nepotes ſeſe nefanda idololatria: ſtatim prophanaverunt & cor-
Ioſ.24. ruperunt: id patet in hiſtoria Ioſue, de Thare & Nachore: Et Chami, ſive Chameſenui, poſteritas cum patre (cui Deus maledixerat propter impietatem & cõtemptum erga patrem Noam) totam Aſſyriam & Ægyptum innumeris ſuperſtitionibus, & idololatria corrupit, ut teſtatur Beroſus in ſua epitome: Hinc manavit infinita Deorum turba, quibus commiſerunt adminiſtrationem cœli & terræ, ſub imperio tamen illius primæ eſſentiæ Divinæ æternæ; quæ condidit totam rerum om-
Sap.14 nium machinam. Salomon teſtatur primum idolorum cultum manaſſe ab iis, qui hunc honorem detulerunt mortuis: ut ſculptis imaginibus memoriam illorum ad poſteritatem proferent: Et hanc conſuetudinem verſam poſtea fuiſſe in legem:

gem: juſſuque tyrannorum ceremonias & ſacra fuiſſe inſtituta defunctis Principibus, aliis qui inſigni aliquo beneficio juviſſent ſuos concives, & rempublicam. Cui rei acceſſit & adulatio hominum, qui etiam malos principes deificarunt, ut in Derceto muliere Aſcalonita, quæ cùm ex adulterio concepiſſet, & peperiſſet Semiramidem, pudore culpæ ſe in ſtagnum præcipitem dediſſe fertur, & in piſcē mutatā: atque ſub piſcis figura poſtea fuiſſe cultam. Ita quoque Apis anima in bovem, Anubis in canem: Et ejuſmodi metamorphoſes; ſub quibus homines pro Deis culti ſunt. Xenophon tradit clararum familiarum avos fuiſſe Saturnos appellatos; filios primogenitos Ioves: Filias Iunones: Nepotes verò Hercules. Hinc contigit ut plures Saturnos, Ioves, Iunones, & Hercules legamus in hiſtoriis antiquorum. Primum autem omnium Patrem dixerunt Ianum, vel Ogygem, quem Chaos, & Cœlum cognominarunt, Majorum ac minorum deorum parentē. Hunc fixerunt bicipitē, & duas habentem facies: quòd ſæcula quæ præceſſerant diluvium generale viderat, & quæ ſecuta ſunt. Inde pullulavit illa deorum myrmecia, figmentis & ſuperſtitionibus plena: nulla fuit natio quæ ſibi proprios non ſtatuerit, & mille nugas, mille blaſphemias de ſingulis non publicarit: non ſolùm inter Ethnicos, ſed etiam inter Iſraëlitas hoc impietatis contagiū

Xenop. de æquivoc.

ſerpſit. Quæ tantopere Deo abominanda viſa ſunt, ut ſæpiſſimè propter hæc populum ſuũ ultus ſit. Paulus apertè ait Deos Gentium malos eſſe dæmonas. Chariſſimi, inquit, fugite ab ido-
Cor.10. lorum curtura: Quæ immolant gentes, dæmonibus immolant. Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Et ſcriptura ſacra ſic loquitur. Si dominum ad iram irritaveritis idololatria, peribitis de terra. Diſperget vos Deus in
Nū. 4. omnes gentes; ibique ſervietis diis, qui hominũ manu fabricati ſunt, ligno & lapidi, quæ non vident, non audiunt, non comedunt, non odoran-
Levit. 19. tur. Nolite converti ad idola, nec deos conflatiles facietis vobis. Ego Dominus. Nõ facietis vobis idolum aut ſculptile; nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra, ut adoretis
Levit. 26. eum: ego enim ſum dominus Deus veſter. Non
Deut. 16. plantabitis lucum, & omnem arborem, juxta altare Domini Dei veſtri: Non facies tibi atq; conſtitues ſtatuam: quæ odit Dominus Deus tuus. Infelices ſunt, inquit Salomon, & inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum; aurum, argentum, artis inventionem, & ſimilitudinem animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ.

CAP. XII.

PANDORA ET PROMETHEVS.



Condita Pandoræ gravido cratere Epimetheus
Excipit, heu quantis noxia dona malis!
Illa voluptatis ſunt dulcia fœnora: quorum
Peſtifero perimunt tecta aconita favo.

GRÆCI ſuperſtitionum inventores, primum formatorē hominis dixerunt fuiſſe Prometheum, Iapeti filium: Qui ex limo terræ formavit imaginem ad ſimilitudinem humanam: Sed cùm ex terrena materia facta eſſet craſſa & ſtupida, eam animavit igne cœleſti, quē ex Iovis ſolio furatus eſt clauculū, concava arundine incluſum, ne furtum animadverteret Iuppiter. Hoc ſacrilegium ut Deus ulciſceretur (indignè tulerat homines recens creatos vigore cœleſti & ſapientia diis ſimiles reddi) Mulcibero mādavit, ut ad Dearum cœleſtium formam figuraret imaginem: quæ ut fuit abſoluta, illam Iuppiter vita & ingenio donavit, Iuno ornavit, Pallas erudivit, Venus illi pulchritudinem & gratiam tribuit, Mercurius eloquentiam: cæterique dii aliquid doni in hanc novam Deam cōtulerunt, unde nomen Pandorę ſortita eſt. Illius manu impoſitus eſt crater aureus à Parcis, Cloto, Lacheſi, & Atropo: quo incluſit Iuppiter morbos, lāguores, curas, ſolicitudines, egeſtatem, pudorem, triſtitiam, & reliqua omnia mala & incōmoda, quibus vita humana poterat exagitari, & vexari: Statutum-

tutumq; erat Fati decreto,ut homo volens,ac ſua ſponte compulſus hunc craterem aperiret, & in ſe admitteret monſtra illa ærumnarum,quæ inde evolarunt. Vtque id non coactus faceret neceſſe fuit, ne poſtea hominum genus meritò conqueri poſſet Deum fuiſſe autorem malorum & calamitatum, quibus miſeri mortales poſtea ſunt agitati,& cruciatibus aſſiduis moleſtati: Quas cùm ultro ſuaque ſponte excepiſſet, ſtultũ fuit culpam in Iovem transferre. Mulier cùm ad Prometheũ veniſſet,neque illi,qui prudens erat,poſſet perſuadere ut munus oblatum exciperet: convertit ſe ad Epimethum Promethei fratrem juvenem imprudentem & fatuum: qui geſtiens craterem acceptum aperuit: ſtatimque facto impetu è fundo ſe proripientes illæ peſtes,& calamitates mũdum repleverunt, omnem hominem ſuo viru & contagio inficientes: unde poſtea vita humana infelix & anxia reddita eſt: Quibuſque Deus ulciſcitur hominum peccata, qui Numine cœleſti neglecto ſceleribus & vitiis ſeſe contaminant. Addiderunt & huic figmento Spem jacuiſſe in fundo crateris,depreſſam à reliquis malis, quæ cùm celeriter evolaſſent, ſpes miſera pondere defatigata non potuit ſe expedire ut foras prodiret: Nã Epimetheus horrore perculſus, operculum vaſi obdidit: ſpeſque incluſa in cœlum reportata eſt: Mortaleſque poſtea calamitoſè afflicti ſunt, nul-

la ſpe ſibi relicta, innumeris afflictionibus & ærumnis, quas imprudentia in ſe attraxerant. Pādoram hanc voluptatem intellexerūt: Qua nulla peſtis major hominibus à natura data eſt: Ea enim radix malorum eſt omniū: qua animus implicitiis à recta ratione abducitur, maximè à cultu divino aliena: comes blanda idolatriæ. Vt plurimū enim fornicatio ſpiritualis, immūditias, & vagas profert libidines. Idolatrę, ut ait Salomon,
Sap. 14 neque vitam, neque nuptias mūdas cuſtodiunt: Sed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contriſtat; & omnia cōmixta ſunt. Sanguis, homicidium, furtum, fictio, corruptio, infidelitas, turbatio, perjurium, tumultus. Bonorū Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconſtantia, inordinatio, mœchiæ, & impudicitiæ. Nihil in vita triſtius à natura datum eſt homini, quàm voluptatis venenum: quo infecta ſemel anima raró ad virtutem ſe inclinat, ſed ſemper prona in omnia præcipitatur vitia.

DII

CAP. XIII.

DII COELI ET TERRÆ APVD GRÆCOS.



Græcia ne Aſſyriis videatur cedere, vanis
Inventis proprios eſt venerata deos.
Quos cælo & terris audax præfecit: ad horum
Vltro ſubmittens ſe ſuaque arbitrium.

HABUIT quoque Græcia Deorũ infinitam turbam: quorum partẽ cœlis, partem aëri, alios terrę, alios mari, alios inferis præfecit. Cœlũ Iovi patri commiſerunt. Et in cœlo diverſos Deos, & animalia, monſtraque, & figmenta ſtatuerunt. Zodiacum in duodecim ſigna diſtribuerunt Arietem, Taurum, Geminos, Cancrum, Leonem, Virginem, Libram, Scorpiũ, Sagittarium, Capricornum, Aquarium, & Piſces. Reliquam firmamenti convexitatem repleverũt urſis, draconibus, centauris, capris, & reliquis nugis, quarum nomina impoſuerũt cœleſtibus corporibus: ac de ſingulis monſtroſas fabulas, & metamorphoſes prodiderunt. Rurſum ſeptem cœlis inferioribus præfectos dederunt Saturnum, Iovem, Martem, Apollinem, Mercurium, Venerem, & Dianam: qui planetarum orbes moderarentur. Aërem Iunoni commiſerunt: quę ſub ſe Aëolum, & ventos habuit. Cyclopes fulmina fabricarunt Iovi: nullaque pars cœleſtium plagarũ ſuo caruit Genio, uſque adeo cerebrum humanũ fertile ſemper fuit vanitatis & figmentorum: cùm à dei

à Dei mandato incipit aberrare,& ſuę rationi locum dare: quò vagatur longiùs, eò ſemper recedit magis à ſcopo propoſito, & à via veritatis,cui nos inſiſtere Divina jubet Sapientia,procul à nobis rejectis omnibus humanis inventis, a quibus ſeducimur, & in perditionis præcipitium adducimur. Eò enim impietatis prorupit humana vanitas, ut Diis ſuis ſcelera, iram, libidinem, furta, & homicidia tribuerint. Diſcordias & inimicitias inter deos conſtituerunt: cõvivia & ebrietates, inceſtus & adulteria: & ad modum humanũ veſci cibis,& potu Ambroſia & nectare:colludere inter ſe:iocari,nugari; de amoribus diſceptare: Ideo Venerem ex Saturni genitalibus ortam,prę-eſſe rebus amatoriis:cui Cupidinem dederunt filium,armaveruntq; pharetra,arcu, ſagittis, & facula:levem,ſtolidum,cæcum, temerarium finxerunt. promiſcuè in Deos & homines ſua tela vibrantem,& cœleſtia,terreſtriaque ſuo ſubjicientem imperio.

Terræ dominationem Opi vel Cybelæ, quæ mater eſt Deorum majorum commiſerunt, quã diſtribuerunt in diverſas provincias, & ſingulis Deos proprios dederunt:Fauni,Panes,Satyri, Oreades,Dryades montibus & arboribus:Naiades fontibus,ſtagnis,& lacubus.Singuli fluvii ſua numina habuerunt,aquibus denominationem ſortiti ſunt. Napeæ prata,viridaria, pomaria, & hor-

tos coluere. Pales agros curavit: Ceres frugibus præfuit. Triptolemus frumento: Chloris floribus: Bacchus vino: Pomona & Vertumnus pomis. Ariſtæus melli commiſſus eſt. Domibus lares Geniique inſederunt: Penates ædium ſecretiores partes. imo nulla pars domus ſuo caruit Deo. Inventis quoque & artibus ſuos præfectos dederunt. Studiis bonarum artium, muſicæ, & melodiæ præſidet Phœbus, Minerva, ac Muſæ: Medicinæ Æſculapius cum patre Apolline. Parturientibus Lucina, Levana, Statilinus, Ilithya: Bello, Mars, Pallas, Enyo, Bellona. Pulchritudini Venus. Amori Cupido: Gratiis, Charites. Fabris Vulcanus: Mercatoribus, furibus, & cauſidicis Mercurius. Nec ulla ætas, nulla ars, nulla urbs, regio, aut locus juventus eſt deſtitutus ſuo Deo tutelari, & Genio conſervatore.

DII

CAP. XIIII.

DII MARIS, ET INFERORVM.



Neptuno imperium pelagi conceditur: illi
Æquorei ſubſunt numina aquoſa ſali.
Orcus Plutoni par et tenebroſus; & illæ
Inferno qua ſunt preſſæ Acheronte plagæ.

MARIA bonam partem ſuperficiei terræ occupant, propterea illis quoq; numina præeſſe fuit neceſſe. Oceanus, Amphitrite, & Neptunus ſummũ in iis habuerũt imperium: quibus ſubjecti, tanquam ſecundę claſſis divi, Tritones, Nereus, Glaucus, Portunnus: Nymphæ infinitæ, ac reliqua ſali numina: de quibus lege Heſiodũ in Theogonia, cæteroſque poëtas qui Deorum iſtorum nominibus centurias conſcripſerunt, quorum ſeriem alio loco adjungemus. Inferos adjudicarunt Plutoni: Nam tres iſtos fratres Saturni & Rheæ filios univerſum mundum inter ſe partitos fuiſſe, ſcriptis prodidit antiquitatis fabuloſitas. Iuppiter Cœlos occupavit, & terram: Neptunus Maria: Pluto Inferos. Plutoni, quem Ditem vocaverunt, maritaverunt Perſephonem Cereris filiam, quam patruus rapuit in Sicilia in Enneis campis, legẽtem flores cum Syrenibus filiabus Acheloi. Ante portam & inferni aditum Stygem cum ſuo lacu, quem Acheruſam vocarunt, repoſuerunt, quem transfretare Charontis

rontis cymba neceſſe eſt animas, quæ Orcum ingreſſuræ ſunt. Portæ præeſt Cerberus canis triceps. Intrinſecus æſtuat Cociti lacus, & Phlegethon: ignitis undis torridus, quibus ſontes immergantur, & perpetuis tormentis cruciantur. Sunt alia loca peccatoribus deſtinata: ubi Tytius vulturino lancinatur roſtro: Siſyphus perpetuo labore rotat ingentem lapidem. Ixion rota rapida in orbem trahitur: Tantalus aqua merſus ſiti horrenda tabeſcit. Belides urnis pertuſis aquam indeſinenter haurire coguntur. Infinita ſupplicia deſcribuntur à Græcis, quibus puniuntur homines, propter ſcelera commiſſa dum adhuc eſſent in vita. Minos, Rhadamantus, & Æacus, tres ſunt inferni judices: qui ſeveras pœnas præſcribũt ſingulis peccatis, prout unius cujuſque gravitas videtur exigere. Carnifices habent ad imperium promptas, truces cruentas & crudeles Furias ſeu Eumenydas vel Erinnyas: quæ ſunt Megera, Alecto, ac Tyſiphone: hæ colubrinis flagris lacerant & proſcindunt adjudicatos Cocito & Phlegethonti. Adſcripſerunt quoque piis animabus locum proprium, ubi quiete degunt æterna: quem vocarũt Campos Elyſios: In iis horti viretæ, prata, campi, ſpeluncæ, monteſque ſumma amœnitate viſuntur, in quibus vivunt perpetua felicitate ſancti Manes: ac ſeſe oblectant omnibus iis exercitiis, quibus libẽter vacarunt cùm adhuc vi-

verent. Ad ingreſſum Elyſiorum Camporum lēto ac tacito flumine defertur Lethe: de quo bibũt animæ beatorum: ut omnium obliviſcantur malorum ac moleſtiarum, quas inviti antea perpeſſi ſunt ſuper terra: & hoc cautum à Fato æterno dixerunt antiqui, ne memoria moleſta tãgerentur animæ ſanctorum, dum recolerent ærumnas & calamitates vitæ tranſactæ. Pythagorici ulterius progreſſi ſunt. Oblivionis fluvium adſignant animabus defunctorum, quæ tranſmigraturæ ſunt in nova corpora. Ac poſt epotam Lethen omnium præcedentium oblitæ, deſiderio novæ vitæ geſtientes, expectant donec Natura illas in corpora recenter nata tranſmittat: Raroque contingit ut mẽte recolant, quæ ante actis ſæculis perpeſſæ ſunt in corporibus in quibus priùs vixerunt. Quamvis ille publicaverit ſe in corporibus alienis antea vixiſſe quorum nomina recitat.

ÆGY-

CAP. XV.



Templa Paretoniis oneraſſe altaria monſtris
Quis negat? inter quæ Simia & Ibis erant.
Et Canis, & vaſto frendens Crocodilus hiatu.
Herbæ etiam cultu non caruere ſuo.

EO proruperunt inſaniæ plurimi populi in hac idololatria, ut non illis ſuffecerit divinitatis honores tribuere aſtris cœleſtibus, Heroibus, & Principibus illuſtribus (qui multis beneficiis homines ſibi conciliarant (ſed & inter deos receperunt portenta & monſtra. Simiam,Crocodillum,Ibin,Arietem (qui illis erat Iuppiter Hammon) Bovem Apin, Oſyrin , Canẽ Anubin,& alia animalia. Ac ne ſatis illis videretur colere beſtias brutas, illis ceremonias, & publica conſtituerunt ſacrificia, templaque, & aras, & ſacerdotes ſacraverunt. Cultum quoque divinum tribuerunt Cepis,Alliis, Porris,Cucumeribus,& infinitis creaturis,quę ſenſu & vita carent: prætexentes myſteria occulta,& plebi incognita; quò viderentur nihil facere ſine legitima ratione,ac Deorum conſilio. Tanta fuit ſemper,& ubique hęc Deorum varietas,maximê inter Ægyptios , qui inter reliquos homines ſuperſtitionibus vanis uſque ad inſaniam deliraverũt. Neque ſine cauſa dicit Apoſtolus , iram Dei revelari de
Rom. 1. cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum , qui veritatem Dei in injuſtitia deti-

nent:

nent:& paulo poſt: dicẽtes ſe eſſe Sapientes, ſtulti facti ſunt: & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis,& volucrum, & quadrupedũ, & ſerpentium. Et hos fructus producit Natura humana peccato corrupta,niſi à Deo optimo maximo fulciatur, convertatur, & inſtituatur: Cui nihil gratius, nihil acceptius eſſe poteſt obedientia. Mens hominis per ſe ad excogitãdos numinum cultus varios ac novos ſemper fuit proclivis. In qua re ſeſe manifeſtat irreligioſa mortalium religionis affectatio:Qui dum ſuis inventis & ſuperſtitionibus ſuam juſtitiam ſtabilire conantur, ab obſervatione mãdatorum Dei procul recedunt. Obſerva, inquit Altiſſimus per Moſem, & audi *Deut.* 12. omnia quæ præcipio tibi, ut benè tibi ſit, & filiis tuis in ſempiternum,cùm feceris quod bonũ eſt, & placitum coram Deo tuo. Quod præcipio tibi hoc facito tãtùm,nec addas quicquam, neque diminuas. Eò inſaniæ proruperunt homines, ut fictitiis diis non ſolùm odores precioſos in thimiamate incenderent,vinum,lac,far,fruges,& alia obtulerunt ſolemniter; holocauſta & ſacrificia ex bobus, arietibus, agnis, hœdis, & volucribus fecerunt: neque quicquam reliquerunt intẽtatum,ut ſua idola honorarent:præſtigiis dæmonum faſcinati, qui eadem ſibi attribuerunt, quæ Deus ſibi fieri præceperat. Imò diis ſanguine hu-

mano fecerunt ſacra, nequid ad impias ſuperſtitiones addi peſſet, ſua templa diverſis polluentes ſacrilegiis & fœditatibus. Neque ſolùm hæc inhumana ſacra ſunt facta inter Gentes, quæ Dei veri notitiam nō habuerunt (ut in Taurica Cherſonneſo Dianæ Thoanteæ homines immolabātur, in Ægypto à Buſiride Thraſius ad aram Iovis mactatus eſt: Pyrrhus Achilli patri parentavit Polyxena Priami filia ad Sigeum littus. In Aulide Agamemnon Iphigeniam ſacrificavit, & ejuſmodi nefaria ſacra inter Ethnicos celebrata legimus multis in locis: Ipſi quoque Iſraëlitæ hæc ſecuti flagitia filios ſuos Molocho immolabant: de quibus dictum eſt. Qui dederit de ſemine ſuo idolo Moloch, morte moriatur: Populus terræ lapidabit eum, & quæ ſequuntur.

Levit. 20.

CANO-

CAP. XVI.

CANOPVS.



Fuſca ſuum Ægyptus veneratur thure Canopum.
Chaldæi flammis numen ineſſe docent.
Commiſſi inter ſe dii ſunt: Ægyptius urna
Aſſyrium tectis ludificavit aquis.

INTER varios portentoſoſq; deos, quibus Ægyptii ſua fana ac delubra repleverunt, Canopus non obtinuit poſteriorẽ locum. Fuit enim Canopus iſte Amyclæus navis Menelai gubernator: Qui cùm ab expeditione Troiana rediret, tempeſtate actus delatus eſt in Ægyptum, ibique, tactus ictu ſerpentis mortuus eſt: ſepultuſque ad Nilum, ubi poſtea urbs à Canopi nomine conſtructa eſt, diſtans ab Alexandria ſtadiis $\overline{\text{cxx}}$. Illi temporis ſucceſſu cives erexerunt ſtatuas, ſacraque decreverunt, & templa dedicarunt. Contigit autem ut Chaldæi diverſarum religionum excogitatores, vagarentur per Aſſyriam & Arabiam, docentes mentem illam æternam conditricem & conſervatricem mundi totius velle coli ab hominibus nõ ſub ſtatuarum aut imaginum figuris, quæ corruptibiles, mutæ, & mortuæ eſſent, & facturæ artis humanæ, quæ ex nulla ſui parte poterant exprimere, vel repreſentare infinitam illam Deitatem ſupernam, ſpiritualem, & viventem ab æterno: ſed ſeſe manifeſtare hominibus ſub ſymbolo ignis. Quia igne (ſecun-

(ſecundum opinionem Heracliti) cuncta creata ſunt:& vita temperatus eſt calor:mors autem frigus perpetuum.Alii humidum cum calido dixerunt originem eſſe creaturarum omnium. Et ut appareret animorum immortalitas, homines igne & aqua uti: reliqua animalia contenta ſunt aqua: Addebant Chaldei Deũ illum mundi conditorem benignum & miſericordẽ eſſe erga eos qui divinis obtemperabant pręceptis:ſed juſtum & terribilem in cõtumaces & rebelles: iraſci graviſſimè delictis prophanorum, ac conſumere in ſuo furore deos lapideos ac metallicos, qui illi conferebantur: quod experientia comprobabãt. Idola enim ſive metallo, lapide vel ligno facta eſſent,adpoſita igni conſumebantur,& perdebãt ſuam formam,qua ſola dii cẽſebantur. Cùm igitur veniſſent in Ægyptum, docerentque eadem quæ in Aſia,ſacerdosCanopi homo philoſophus & literatus, fraudem Chaldęorum non ignorãs, dolum dolo excepit.Concione populi convocata ipſe ultro hortatus eſt Ægyptios ne temere rejicerent Chaldęorum doctrinam, quæ à ratione non erat aliena: Non tamen patriam religionem leviter deſererent, quam à parentibus acceperãt. Deos illos inter ſe committendos eſſe ſuadebat, ac piè religioſéque expectandum quis eſſet ſuperior futurus. Interim, ut cautus erat,Hydriam foraminibus undequaque terebro aperuit, quæ

cera texit,ac gypſo colorato ſuper induxit:impleuitque hydriam aqua: & ejus orificio caput ſtatuæ veteris ſuper impoſuit; ſummaque reverentia, ac ceremoniis exquiſitis ſpectante toto populo venerandum iſtum Deum igni Chaldcorũ adhibuit: Vtrinque Ægyptii Canopi numen, Chaldæi voce elevata ſuum deum ſub ignis forma invocabant. Incaleſcente autem hydria propter ignis propinquitatem, liquefacta eſt cera,apertiſque foraminibus magno. impetu effuſa eſt aqua in ignem circunjacentem: qui multa inundatione ſpectantibus & admirantibus omnibus ſuffocatus & extinctus eſt:Sacrificulus verò arrepta inde occaſione hortatus eſt Ægyptios,ut majore reverentia Canopum colerẽt,ſacra illius frequentarẽt,ac ſe tanto numini voluntariè ſubmitterent. Ex eo tempore Canopi ſtatua figurata eſt in ſpeciem urnæ: Cujus formam oſtendunt Marius Delphinus Romanus Patritius. Petrus Lepidus Regius apud Mediomatrices Procurator: ac memini me aliquando vidiſſe ſimiles inter ornamenta conclavium ducis Vrbinatis Piſauri,& Roberti Strozzię Card. Romæ.

DII

CAP. XII. V
DII ROMANORVM.



Vt bello atque armis clari evaſere Quirites,
Sic nomen patriis obtinuere ſacris.
Mille deis totidem Romæ delubra dicarunt,
Diverſa Græcis relligione pares.

QVOTIES aſſerit ſcriptura unicum eſſe Deum, hoc præcipit ne alio transferatur id quod Divinitati competit. Vnde patet, quãtum à ſuperſtitione differat pura religio. Dicit enim Deus ſe eſſe æmulum, ac fore ſeverũ ultorem, ſi cum ullo deo fictitio illum aſſociet homo, regulamque proponit in ſua lege, ad quã vult omnem cultum Numinis ſui referri, & ſuo arbitrio honorari. Quod homini debet eſſe frænum validiſſimum, quo intra fines & limites officii ſui contineatur. At illi Antiqui tam Philoſophi, quàm populorum doctores, ne viderẽtur aliquid detrahere de eo quod deberi ſummoNu mini non ignorabant: Deorum minorum centurias æterno rerum omnium Conditori ſubjecerunt, quibus par eſſet cũ illo ſummo Deo cœli ac terræ adminiſtratio. Sed hac ſocietate Deus impiè dejicitur à ſua ſede, & illi ſceptrum è manibus extorquent Idololatræ, quod fictitiis ſuis deis communicant. Manet tamen illud dictum Chriſti ad tentatorem: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Et Angelus reprehendit Ioannem, quòd in genua venerabundus corã eo

Matt 4. *Apo.19*

eo procidiſſet. Et Petrus Cornelium reprehēdit, *Act.10*
quòd ante illius faciem genicularetur. Zacharias *Zac.14*
dum loquitur de reſtauratione Eccleſię, dicit tūc unum fore Deum, & unum illius nomen: Quibus teſtimoniis clarè judicatur quæcunque pietatis officia aliò transferuntur, quàm ad unum Deum, ea ſacrilegio abominando involvi. Sed hoc Gentes non intellexerunt, quæ multitudinē deorum ſibi finxerunt:non ſolùm Aſſyrii, Ægyptii, & Græci, ſed etiam Romani, qui cæteris pares fuerunt ſuperſtitione & religionibus variis. Hi enim præter ſolem,lunam,aliaque ſidera,quę adorabant,habuerunt peculiarem deum Ianum illum antiquum Ogygem,qui inter Aborigenes olim regnarat,& in Ianiculo ſedem fixerat. Hūc peculiaribus ſacris priſci illi populi Italiæ venerati ſunt,antequam Evander cum Carmenta matre in Italiam trajiciens deos Arcadiæ advexiſſet; & Æneas Palladium, Cybelem, & alios è Phrygia deos ſecum adportaſſet. Habuerunt & Romani ſuos Heroas,Genios,& Indigetes:Statilinum, Levanam, Comum, Virbium, Ridiculū, Fortunam,Angeronam,Agonium.

Eouſque proceſſit humana vanitas,ut ſemper plus tribuerit ſuis ſpeculationibus & inventis, quàm mandato Dei; qui ſpiritu & veritate coli vult,non idolis materia corruptibili cōflatis. Si- *Pſalm.*
mulachra Gentium argentum & aurum, opera *115.135*

manuum hominum. Similes ſunt eis qui fecerũt ea,& omnes qui confidunt in eis. Proinde Deus, ne illi formam aliquam materialem tribuerent
Ex.20 homines,inquit. Non facies tibi ſculptile, neque ſimilitudinem ullam eorum, quæ in cælo ſunt deſuper,aut in terra deorſum,nec eorum que ſũt in aquis ſub terra, &c. Quibus verbis refrænatur perverſa ſuperſtitio, & impia licentia hominum.
Deut. 4. Deus ipſe ad Moſē inquit: Memento quòd Deus locutus ſit tibi in valle Horeb: vocem audiviſti, corpus nō vidiſti. Obſerva ergo teipſum, ne fortè deceptus facias tibi ullam ſimilitudinem. Et
Eſa.40 & 46. Eſaias: Cui aſſimilabitis Deũ fortem,& quā ſimi-
Act.17 litudinem cōparabitis ei? Et Paulus diſputans Athenis in Areopago cum Stoicis, dicit: Divinitatem non poſſe exprimi auro, argento, aut lapide arte ſculpto,neque invētionibus hominũ. Quod
Lib.4. de civ. Dei ca. 9.&31. nō ignoraverunt ex Gentibus plurimi. Auguſtinus profert excellens teſtimonium ex Varrone, quod & ipſe adprobat. Qui primi deorum ſimulachra invexerunt,ii & metum dempſerunt,& errorem addiderunt. Cum Tarentum expugnaſſet Cōſul Romanus, multaſque ſtatuas deorum aureas & argenteas cum præda cepiſſet, ſcribenti ad Senatum quid de iis eſſet facturus reſpōſum eſt, ut Deos Tarētinis iratos relinqueret. Nimirum hoc reſponſo Romani annuebant,in ſtatuis parũ eſſe auxilii afflictis,quamvis eas ſummo coluiſſēt hono-

honore:multo minùs iis qui nihil divinitatis talibus rebus attribuebant:nam uſque ad ea tẽpora Romæ nondum recepta erant Deorum ſimulacra. Sed poſtquam Romani protenderunt imperium extra Italiã, & cum Græcis communicarũt, ab eis,ſicut bonas artes & Philoſophiam, ſic etiã omne genus ſuperſtitionum & opinionũ de religione didicerunt, & in urbem invexerunt, reliquoſque populos variis traditionibus & ſacris ſuperarũt:aſciſcendo undequaq; peregrinos Deos, & illis in urbe templa,ſacella,& aras erigẽdo.Vnde dictum eſt non abſurdè ab aliquo Romano. Poſtquam in Vrbem introducta ſunt ſimulacra. & ſtatuæ deorum publicè ſunt populo propoſitæ,ut ad eas ſuas dirigerent preces,& vota concíperent,elanguiſſe in hominum animis pietatẽ,& morum diſſolutionem ſuperinductam eſſe.Cùm enim ſuos deos iiſdẽ affectibus, & cupiditatibus percelli,& rapi exiſtimaſſent, quibus vulgare genus hominum, aut eos contempſerunt,aut ad eorum exempla vitã compoſuerunt. Exiſtimaveruntque quod cœleſtiũ fieret imitatione,debere tolerari,vel adprobari:Nam fures,latrones,adulteri,polluti,impoſtores, & cęteri, ſuos habuerũt tutelares deos:quos invocabãt, & colebãt ut maleficia quę aggrediebãtur poſſẽt cõficere.Sic adulterę mulieres veneri victrici,& felici ferebãt munera:impoſtores, perjuri, fures Mercuriũ pręſidẽ

honorarunt: avari Plutum: latrones & oppreſſores violenti Herculem: cynædi Iovem: & ita de cæteris. Nullum enim vitii genus fuit, quod ad aliquem deorum non potuit referri, quorum patrocinio & exēplo poſſent ſecuriùs exequi quod machinabantur. Vtque rudis populus, & literarum imperiti poſſent faciliùs Deum à deo diſcernere, & ejus proprias cognoſcere virtutes & energiam, ne in invocatione hallucinarentur, & fallerentur, ex armamentario cœli conquiſita ſigna tribuerunt ſingulis, quæ propria illis eſſent & peculiaria: ut compertum eſſet unicuiq;, quòd Deus hic vel ille poſſet conferre beneficium: ne precibus extorquere miſeri mortales conarētur ab aliquo deorum, quod ſui non eſſet muneris: Stultum enim fuiſſet à Venere voluptati & ocio dedita, texendi, nendique peritiam poſcere, cùm deliciis præficeretur, & amoribus. Ad Palladem veniendum erat, quæ lanificii præſes credebatur. Propterea cautum eſt probè ac ſapienter, ut ſtatuarii & pictores ſingula numina ſuis inſignirēt notis: Iuppiter fulmen tenebat, Neptunus fuſcinam, Pluto uncū, Saturnus falcem, Cybele tympanum, Apollo lyram, Pallas ægydem & haſtam: Mars peltam & frameam: Bacchus thyrſum, Hercules clavam: Mercurius caducæum, Diana venabulum, Cupido pharetram, & arcum: Venus faculam: Hymen roſas: Vertumnus ſcalas: Pales raſtrum:

ſtrum:Pan fiſtulam ſeptemplicem: Vulcanus incudem & malleum,& ita de cæteris. Quin & dii ſinguli proprias habuerũt aves, vel animalia quibus comitabãtur.Iovi tribuerunt aquilam:Iunoni pavonem: Minervæ noctuam:Herculi draconem Heſperium: Baccho Tygrem & Panteram: Veneri cygnum & columbam: Saturno ſerpentem:Plutoni Sphyngem: Neptuno Phocas: Dianæ cervum & canes:Marti lupũ: Mercurio Ibidẽ; Æſculapio colubrum: Phœbo cornicem. Mille monſtra,mille nugas& fabulas ſemper excogitavit mens humana, quibus deciperetur, ac deciperet. Quoque magni illi Philoſophi ſibi magis indulgebant in deſcribenda rerum natura,quam ingenioſis his hieroglyphis adumbrare ſe credebant, eò longiùs aberrabant, & diſtrahebantur à vero ſcopo cultus divini, quem Deus ſummus ſibi poſtulabat tribui; idque præſcripto mandato, quod ex ſacris literis diſcimus: vltra quod, ingenium hominis nihil poteſt cõminiſci prẹter vanitatem, & ſtultitiam. Cùm autẽ ſuis diis currus & animalia quædam,quibus geſtarentur, tribuerit antiquitas priſca: ea expreſſi olim aliquot verſibus,quos hic adjungere non erit abſurdum.

Et ſua habent carpenta Dei: rapidiſque feruntur
Curribus: & celeres axe agitante rotas.
Sidera ſeu linquant,ut terras lumine luſtrent:
Seu placeat cœli ſumma per aſtra rapi.

Annoſi ſubeunt Saturni plauſtra dracones,
Addit qui exactis tempora temporibus.
Clangorem duplicant Idæi Dyndima buxi,
Turritam geſtat dum leo iunctus Opin.
Iuppiter aëriis aquilæ libratur in alis,
Sidera dilecto cum Ganymede petens.
Iuno capiſtratis pavonibus æthera ſcindit,
Dum cultæ inviſit templa operoſa Sami.
Neptunus tranat frænatis æquora Phocis:
Perfreta Delphino currere Thetys amat.
Ditis equi Nonius, Metheuſq;, & furvus Abaſter:
Alatoque Orphneus qui pede ſulcat iter,
Phœbæos raptant currus Æous & Æthon,
Et Phlægon flammas cum Pyroente vomens.
Ad iuga ramoſos compellit Delia cervos,
Dum curſu celeri Latmia ſaxa ſubit.
Lyncibus & ſævis fertur vinoſus Iacchus,
Torva corymbifera lumina fronte rotans.
Vt Phrygio Anchiſa, thalamiſque fruatur amatis,
Pulchra in Amyclæo Cypris olore ſedet.
Dum framea, & Getica furit inter prælia pelta,
Mars premit Odryſiis eſſeda iuncta lupis.
Squamoſo graditur nitens ſerpente Minerva,
Attica ſi poſita Gorgone fana ſubit.
Non ſemper genitus Maia talaria plantis
Aptat: Marmaricis tollitur Ibidus:
Triptolemum ut doceat frumentum credere ſulcis,
Currum urget tortis anguibus alma Ceres.

Luſtra-

Luſtratura ſalum compellit cærula Doris
Delphines iunctos ore lupata pati.
Ad iuga compulſo diverberet æquora piſce
Nereus: & motas turbine mulcet aquas.
Vectatur pandi tergo Silenus aſelli,
Eſt qui Lampſacio victima grata Deo.
Pelides Balium, Xanthumq́, & Pedaſon urget,
Dum iuvenem Mavors in fera bella movet.
Pollucis dextræ ſubmittens colla libenter
Spumanti frænum Cyllarus ore tulit.
Pegaſus alato geſtavit Perſea dorſo:
Et ſeſſore ferox Bellerophonte fuit.

Iſtis quoque diis peculiares ſacratæ fuerũt arbores: ex quarum ramis coronabantur, quoties illis feſta ſolennia ſacrificiaque fiebant publicè: quas ſequenti carmine ita comprehendi.

Non quavis Superos arbor de frunde coronat,
Dum fiunt feſto publica ſacra die.
Cuilibet è proprio cinguntur timpora ramo:
Serto divinas impediente comas.
Æterna cædro frontem Saturnus inumbrat:
Turrigeræ eſt abies grata corona Deæ.
Alta Panomphæo quercus eſt ſacra Tonanti.
Lentiſci æquoreo viſcida planta deo.
Diligitur nigro Plutoni Punica malus.
Pallentes oleas Attica Pallas amat.
Perſtringit flavum Iuno Libanotide crinem.
Frunde tegit fagi Delia cæſariem.

Ornata eſt Martis invicta dextera palma.
Mercuriique comas Lotos amica premit.
Devincit Phœbus Daphnæa timpora lauro.
Herculeum cingit populus alba caput.
Fronte recemiferas geſtat Semeleius uvas.
Pæſtanam Cypris diligit alma roſam.
Flava Ceres tiliæ ſudorem corrigit umbra.
Id aliam variat myrtus odora comam.
Plexa datur Genio platani de frunde corolla:
Agreſtem cingit lenta labruſca Palem.
Coniferæ Pani præſtingunt cornua pinus.
Sylvano gracilem dant coryleta nucem.
Littorea Doris frontem circunligat alga.
Naiades inſtituunt ad ſaliceta choros.
Cum Satyris ludunt Dryades querceta ſub alta.
Multiplici calathos flore Napæa replet.
Pallida feralem poſcit Libitina cupreſſum.
Perſephone taxi lurida ſerta gerit.

DII

CAP. XVIII.

DII TVRPES, ET SCELERATI:

PRIAPUS.

ROMÆ IN HORTIS VIÆ FLAMINIÆ.



Hic ille hortorum cuſtos: cui priſca vetuſtas
Obſcœnis aras ritibus inſt.tuit.
Cui litat ad thalami venturus fulcra maritus.
Conſecrat Idalias cui nova nupta faces.

NON ſolum peccaverũt antiqui in exprimenda Divinitate, dum illam ad formã humanam pingerent & ſculperent: ſed vanę ſuperſtitioni acceſſit nefaria & ſceleſta profanatio: Dum ſuos deos adulteros, inceſtos, turpes, & ebrioſos crederent, infinitiſque criminibus infames. Vnde licentia peccandi multis evenit, & numinis contemptus. Non poterat enim fieri ut hunc piè ac ſanctè revererentur, quem exiſtimabant pollutum, turpem, & ſceleribus faventem. Soror quæ ſuum fratrem ad inceſtum provocat apud Ovidium, crimen ſuum ita excuſat. Quid deceat neſcimus adhuc: nos cuncta decere credimus, & ſequimur magnorum exempla deorum: & quę ſequuntur. Sic Venerem cũ Marte in adulterio deprehenſam tradiderunt, ſpectatoribus reliquis diis jocum, riſum, & fabulã fuiſſe in cœlis. Iuppiter ut ſuas exequeretur libidines, diverſas formas induit: in aquilam verſus cũ Ganymedem raperet: in olorem, ut Ledam: in ſerpentem, ut Olympiadem: in Satyrum, ut Sagaritidem Nympham deciperet: in aurum, ut Danaëm: in taurum, ut Europam: Reliquoſque deos diver-

diverſa corpora formaſq; ſumpſiſſe prodiderũt, ut ſuis potirentur amoribus. Imo ipſam Dianam, quam virginitati & caſtimoniæ præfecerũt, cum Pane, cum Endymione, & cum aliis pudicitiam proſtituiſſe tradiderunt. Nonne & pæderaſtas aſſeruerunt Iovem cum Ganymede, & Herculem cum Hyla? & Bacchum cum Hypolypno cynædum: qui cùm exequi promiſſum non poſſet reverſus ab inferis, ſuper mortui ſepulchro opus exegit ramo ficulno. Quis ſine pudore leget quæ ſcripta ſũt de generatione Ericthonii & Orionis? Athenienſes Cotytto pollutionis & libidinum deam ſacris abominandis coluerũt: Romani Floram meretricẽ, quæ Chloris vocabatur, in deorũ numerum retulerunt, quòd Senatum hæredẽ feciſſet: illique ludos quotannis inſtituerũt, in quibus omnia turpia publicè fiebant. Quæ ut ſpectaret Cato Cenſor, cùm in circum veniſſet, puduit ſcœnicos prodire, niſi Cenſor diſcederet. Cybele mater deorũ in nuptiis Pelei & Thetidis ebria decubuit; ac penè ſuppreſſa fuit à Priapo, niſi fuiſſet excitata à ſomno ruditu aſini Sileni. Nõne & hęc Opis bona dea Atys impotẽti amore exarſit? Quo cũ potiri nõ poſſet, illi amentiã immiſit; ut ſibi teſtes amputaret. Iuno ex frictione pudẽdorũ, Vulcanũ cõcepit. Iuppiter ex cerebro Palladẽ enixus eſt. Et uxorius iſte deus Bacchum ex Semeles utero extractum (quã fulmine in coitu extinxerat)

ſuo femori inſeruit, donec partui maturus eſſet embrio. Lāpſaceni mōſtroſæ virilitatis hominē Priapum divinitate donarunt,& religioſè coluerunt:Licet Ægyptii tradant longè ante Priapum Lampſacenum fuiſſe hunc deum apud ſe in ſummo honore. Aſſerunt enim Oſiridem à Typhone occiſum,& in partes diviſum eſſe:ejus verò pudenda in Nilum projecta fuiſſe (quòd ea neque Azo regina Æthiopiæ,neq; quiſquam ex ſeptuaginta conſpiratis vellet excipere.) Et à Lepidoro,Phagro, & Oxyrincho piſcibus devorata eſſe: quæ poſtea Iſis inventa, tholoque templi appenſa juſſit adorari,& Phalum vocari. Hæc & ſimilia traduntur theologia antiquorum:quibus homines ad omnem turpitudinem deorum exemplis pelliciebantur: Quis ſacra hæc toleret myſteria? quibus mens mortalium non tantùm abſtrahitur à cultu & reverentia Dei,ſed etiam protruditur in omnem ſpurcitiam, & libidinem?

Non

CAP. XIX.

Non aſſumes Nomen Dei tui in vanum.

PERIVRII SACRIFICIVM. Levit.5.



Ne ſubeat pœnas falſæ ob periuria linguæ,
Heic agni ſupplex ſanguine ſacra facit.
Divini debet reverentia nominis eſſe
Summa: ad quod cælum, terra, ſalumque tremunt.

CVM juramẽtum ſit Dei atteſtatio ad veritatem ſermonis noſtri confirmandam: certũ eſt debere referri ad hoc præceptũ. Et quãdo ejuſmodi atteſtatio rite peragitur, ſpecies eſt cultus divini. Eſaias de Aſſyriis & Ægyptiis ſcribens: Loquentur, inquit, lingua Chanaã, & in nomine Domini iurabunt: hoc eſt: jurando per nomen Domini, religionis cõfeſſionem profitebuntur; & ſe ſub eodem fœdere cum Iſraëlitis contineri teſtabuntur. Idem Propheta: Qui jurabit in terra, jurabit in Deo vero. Meritò enim cũ invocamus nomẽ Dei in teſtimoniũ, noſtram in ipſum religionẽ, & reverentiã oſtendimus. Cũ hac ratione illum fateamur cordium ſcrutatorem, ultorem perfidiæ, ipſumque eſſe æternam, & immutabilem veritatem. Impium eſt igitur per alienos Deos jurare: qui non poſſunt à nobis vocari, ſine manifeſta à Deo vero defectione. Per Hieremiam Deus inquit, Si eruditi docuerint jurare populum in nomine meo, ſicut docuerũt jurare per Baal, ædificabuntur in medio domus meæ: & alibi, Filii tui dereliquerunt me, & jurant in iis qui dii non ſunt: &, Diſperdam eos qui

Eſa. 19. *Eſa. 65* *Hiere. 5. & 6.* *Sophõ. 1. & 6.*

jurant

jurant per nomen Domini, & jurant per Melchon. Si per alium jurant homines, quàm per Deum verum, Deus altiſſimus de ſua majeſtate detruditur. Et ſi hac prophanatione pejeratur, impia contumelia trahitur in contemptum: nihilque illi reſtat, ubi ſua veritate ſpoliatur,& eſſe Deus deſinet,ſi falſi ſuffragator & approbator illum homines cõſtituerint. Dum Ioſue producit *Ioſ.7.*
Acham in medium, qui de anathemate in præda Hiericõtis ſubtraxerat aliquid clãmculò, cùm illũ ad cõfeſſionem veritatis adigit: Fili mi,inquit, da gloriam Deo Iſraël:Hac adjuratione innuens, Deũ maximè honorari,quoties teſtis tanquã cordis noſtri cognitor invocatur:Et irritari graviſſimè ultoremq; perjurii, ſi fallimus,imprecari. Nõ *Lev.19*
pejerabis in nomine meo; nec pollues nomẽ Dei tui. Ego Dñs. Perjuro conſtituta erant ſacrificia, ut veniam à Deo impetraret; quæ illum mortis reum corã Domino teſtabantur:ut Levitico traditum eſt. Anima qũæ juraverit,& protulerit la- *Lev.5.*
biis ſuis,ut vel quid malè faceret,vel benè,& non fecerit, & id ipſum juramento vel ſermone firmaverit,oblitaq; poſtea intellexerit peccatũ ſuũ, agat pœnitentiã pro delicto:& offerat de gregib⁹ agnã,vel capram, &c. Etſi juramentum in nomine Dei ſit ſpecies honoris qui Deo debetur; non tamẽ temere pii ſeſe debent aſſuefacere juramẽto: niſi quatenus à magiſtratu id requiritur, aut

controverſia de re incognita hac ratione terminatur & finitur. In cæteris ſobriè nomen Dei aſ-
Eccl. 23 ſumendum eſt. Iurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa. Vir multum jurans implebitur iniquitate; & nō diſcedet à domo illius
Mat. 5 plaga. Hinc illud Domini apud Matthęum. Non jurabis neque per cœlum, neque per terram, neq; per Hieruſalem, neque per caput tuum. Sit autē ſermo veſter, eſt eſt, non non. Quod autem his abundantius eſt, è malo eſt. Et Iacobus: Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neq; per cœ-
Iac. 5. lum, neque per terram, neque aliud quodcunq; juramentum. Sit autem ſermo veſter, eſt eſt, non non: ut non ſub judicio decidatis. Quibus mandatis refrænatur nimia juramenti licentia, qua nomē Dei in vanū ſumitur à plurimis: imo & blaſphemias & juramenta exiſtimant ornamēta locutionis, ac competere nobilibus, iiſque qui autoritate, opibus, & dignitate cæteris præſtant.

SEN-

CAP. XX.

SENNACHERIB *II.Paral.32.*



Aſſyriis Solymos vexat Babylonius armis
Rex: & blaſphemo provocat ore Deum.
Angelus infeſto turmas ulciſcitur enſe,
Natorumque cadis, Sennacheribe, manu.

INFINITA teſtimonia, tam è ſacris quàm ex prophanis hiſtoriis citari poſſunt, quibus monemur religioſiſſimum & ſacroſanctum Dei nomē eſſe debere inter homines. Filius Salumith mulieris Hebreę, & Ægyptii cujuſdem, cùm blaſphemaſſet nomen Dñi, Dei juſſu lapidibus obrutus eſt. Educ blaſphemū (inquit Deus ad Moſem) extra caſtra; & ponent omnes qui audiverunt manus ſuas ſuper caput ejus: & lapidet eum populus univerſus. Qui blaſphemaverit nomen Dñi, morte moriatur. Lapidibus obruet eum omnis multitudo populi, ſive ille civis, ſive peregrininus fuerit. Quicquid igitur de Deo mens humana cōcipit, quicquid lingua profatur, ipſius excellentiam reſipiat, & ſacrę nominis ejus ſublimitati reſpōdeat, aptumq; ſit ad ejus magnificentiam extollendam. Sancto ejus verbo, & adorandis myſteriis ne temerè prępoſterequè abutamur ad ambitionem, ut cæteris ſanctiores videamur: vel ad avaritiā, ut proximū decipiamus in contractibus, fœnoribus, & impoſturis. Neq; ad ludicra (quod plerique faciūt, non ſatis ſeriò penſantes quātum crimen perpetrent) nomen

Levit. 24.

Levit. 20.

nomen Divinũ transferamus: Vrbanitas & jocus id cenſeri non debet, ubi impietas, ac Numinis prophanatio immiſcetur. Sãctificare ejus Nomẽ jubemur: hoc eſt, quicquid ab ipſo memoramus factum, cũ ſapientiæ, juſtitiæ, bonitatis elogiis factum eſſe prędicemus. Cùm ſecus fit, venerãdum nomen Dei ſua dignitate exutũ contẽptibile redditur. Neq; eum honorẽ, qui uni ſoli Deo ęterno, cõditori & conſervatori totius mundi debetur, ad fictitios deos transferamus: neque illi ſuæ potentię ſocios adjungamus. Deus altiſſimus eſt zelotes: qui ſuam gloriã aliis cõmunicari non ſinit. Huc igitur illi ſummi Numinis cõtemptores adducendi ſunt, & docendi unũ ſolum eſſe Deũ, cui ſoli ſubjecta ſunt omnia: qui cuncta videt, qui gubernat, & regit quicquid ab eo creatũ eſt. Siquid illi derogatur, & ad alios transferatur, impietatis crimen ſecum trahit. Prophanus ille Sennacherib Aſſyriorum rex, cum per Rabſacẽ militiæ ſuę præfectum ingentibus copiis Hieroſolymas obſideret, inſultat Deo vero, & Ezechiæ regi Iudæ. *2. Paral. 32. 4. Reg. 18. 19. Eſaiæ 36. 37.* Dii gentium, inquit, eas non ſervaverunt, neque De⁹ veſter vos liberabit à manu mea. Quis eſt de univerſis diis gentiũ, quas vaſtaverũt patres mei, qui potuerit eruere populũ ſuũ de manu mea? ut poſſit etiam hoc præſtare Deus veſter. His blaſphemiis irritatus Dominus, per angelum ſuum percuſſit Rabſacis exercitum; corruerantque una

nocte centum & octoginta quinque millia hominum ad internecionem cæſa:Reverſuſque rex eſt cum ignominia in terram ſuam. Cumque ingreſſus eſſet templum dei ſui Neſroh: cui ſacrificaturus erat filios ſuos Adramelechum, &. Sareſarum: ut placatus Neſroh opem ferret tyranno in debellandis Iudęis.Paternam voluntatem animadvertentes filii, conſpiratione facta irruerunt in templum,& parentem adorantem trucidarũt. Fugeruntque poſt parricidium hoc, in Armeniam,relicto regno fratri Aſſaradoni:quem Merodachus paulo poſt devictumvita privavit:regnũ-
que Aſſyriorum ad Babylonios iterum
tranſtulit,& ſimul conjunxit,
ut priùs fuerat.

CAP. XXI.

PHITONISSA ET SAVL. II. Reg. 28.



Endoreæ magico defunctus carmine Vatis
Ex imis Samuel Manibus eruitur.
Obiurgat Saulem: Cras, inquit, prælia inibis:
Tuque Paleſtino fuſus ab hoſte cades.

N 3

NEMO tam inſanę mentis eſt(niſi prorſus ſit atheos) qui audeat negare unum ſolū Deum adorandum, illique præſtandam eſſe omnem reverentiam & obedientiam: Illius nomen ſacroſanctum eſſe debere inter homines: neque transferendū Numen illius in abuſus prophanos & impios. Non deſunt tamen hodie plurimi, qui deteſtando magię ſtudio allecti, audent eos, quos docent, eo impietatis pertrahere, ut illis perſuaſum eſſe velint, in nomine Domini dęmonas evocari poſſe illæſa pietate. Spirituſq; immundos ſeſe, invitos licet, ſubmittere tremendo & adorando Majeſtatis divinę Nomini, & parêre juſſibus magorum. Inveniunturque non pauci qui eò impietatis proruperunt, ut aſſerant id ſtudium à ſanctis olim fuiſſe cultum: plurimaq; mitacula peregiſſe auxilio ſpirituū, qui in ſuprema regione aeris degunt, participes colloquiorū cū cœleſtibus Geniis, & hominibus, qui vitæ ſanctitate illuſtres vivunt in terra. Hæc impietas, & abo minanda doctrina, licet divinis humaniſque legibus auſterè ſemper fuerit prohibita, meritoq; in hodiernum uſque diē ſuppliciis atrocibus puniatur

niatur à Principibus & magiſtratibus, qui nomẽ Dei reverentur; audacter tamen ab his ſacrilegis adhuc colitur multis in locis, &in uſũ reducitur. Vir ſive mulier, in quibus Pythonicus, vel divinationis fuerit ſpiritus ,morte moriatur. Lapidib⁹ obruẽt eos:Sãguis eorũ ſuper illos,inquitDñs. Non invenietur in te incautator:nec qui Pythones cõſulat,vel divinos: aut qui quęrat à mortuis veritatẽ:neq; qui ariolos ſciſcitetur, aut obſervet ſomnia atq; auguria:nec ſit maleficus.Omnia enĩ hæc abominatur Dñs. Quòd ſi tãtùm Deus offẽdatur in temeraria uſurpandi importunè divini nominis facilitate: ſi in blaſphemiis tãtopere irritatur,multo magis incẽdetur illius ira,ſi in nefarios uſus illius cõferatur Numẽ: ut fit ab impuris iſtis profanatoribus, que tremendum illius Nomen adplicant, & eo abutuntur in necromãtia & magia: ad dæmones & mortuos evocandum ſceleratis ſuperſtitionibus,diris devotionibus, illicitis exorciſmis, aliiſque impiis incantationibus ſeſe cõtaminantes: de quibus dictum eſt. Omnis anima quæ declinaverit ad magos & ariolos: & fornicata fuerit cum eis:ponam faciem meã contra eam, & interficiã eam de medio populi mei. Et alibi. Ne declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos: Ego Dominus. Et Hieremias docet falſos prophetas nõ eſſe audiẽdos, neque augures, neque divinos,

Lev.19 *Nu.6.* *Levit. 20.* *Lev.19* *Hie.27*

qui Dei nomen prætexunt ſuis impoſturis & deceptionibus. Quod juſto Dei judicio contingit, dum reprobos & rebelles Satanæ poteſtati relinquit. Falſiſque Prophetis permittit, ut ſignis & miraculis clareant: & ſeſe inſinuent in hominum mentes, ut decipiantur qui perditioni deſtinati ſunt. Nam ipſe Satanas transfigurat ſe in angelum lucis. Cui efficacia in miraculis à Deo datur, ut decipiat eos qui juſto domini judicio in perditionem ruunt. Cùm Dei verbo ejuſq; mandatis non adhærent, ſed ſuæ ſalutis, & conſervationis ſpem aliunde quàm par eſt conſtituunt. Propterea permittit Deus illos ludificari, ac decipi præſtigiis, & impiis iſtis incantationibus magicis, quibus magis fidunt, quàm ſcriptis & promiſſionibus divinis.

Marc. 13.

2.Co.11

CAP. XXII.

AIAX TELAMONIVS



Se fore victorem invito Iove deierat Aiax,
Grandævi ſpernens dicta paterna ſenis.
Impietas cæco punita eſt iſta furore,
Dum propria ad Troiam culpide foſſus obit.

VENERANDA ac tremenda debet eſſe creaturis omnibus altiſſimi Dei ſacroſancta majeſtas: neque illius nomen prophanandum, quæcunque videatur occaſio, cauſa, vel neceſſitas offerri. Sed quoties id uſurpatur à nobis, neceſſe eſt nos illi ſubjici cum reverentia, & cernua ſubmiſſione, ac humilitate; illudque religioſa veneratione, omni ſtudio, devotione, & cura proſequi. Itaq; ſic animis & linguis comparatos eſſe nos decet, ut nihil de ipſo Deo, ejuſque myſteriis cogitemus aut loquamur, niſi reverẽter, & cũ ſobrietate: Certò ſtatuentes illum nõ permiſſurũ, ut blaſphemi & cõtemptores ſui Numinis in ulti maneant, tã in hoc quàm in futuro ſeculo. Sit igitur hoc à principio perſuaſum omnibus hominibus, qui pietatis ſtudioſi, ac Dei obſervantes videri volunt, Dominũ eſſe omnium rerum & moderatorem Deum: eaque, quæ geruntur, ejus geri ditione ac Numine: eumque optimè de genere hominum mereri: & qualis quiſque ſit, quid agat, quidq; in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religionẽ intueri, piorumque & impiorum habere rationem. Et alibi ait idem autor. Quis eſt tam vecors, qui cùm

Cic. de legib.

De rep. aruſp.

ſuſpexerit in cœlum, Deum eſſe nõ ſentiat? Et ea quæ tanta mente fiunt, ut vix quiſquam arte ulla ordinem rerũ atque viciſſitudinẽ perſequi poſſit, caſu fieri putet. Et idẽ, In mũdo Deus eſt aliquis, qui regit, qui gubernat, qui curſum aſtrorum, qui mutationes temporum, rerum viciſſitudines ordineſque conſervet: terras & maria cõtemplans, hominũ cõmoda vitaſq; tuetur. Hęc cùm legim⁹ Ethnicos non ignoraſſe, quid nobis Chriſtianis fiet, cùm edoceri libris ſacris poſſimus, & inſtitui exactè in iis omnibus quæ ad noſtrã ſalutẽ pertinent, niſi divinis monitis nos ſubmittamus? Quæ cùm benè ſculpta mente habebimus, proculdubio Dei majeſtatẽ adorabimus cernui, & illi noſtram voluntatem, rationem, ac judicium ultro ſubjiciemus: expectãtes cũ patientia rerũ noſtrarum ac cõſiliorum ſucceſſus, quales ille voluerit eſſe: nobis perſuadentes omnia pendêre ex illius providẽtia. Nos illi eſſe curæ ſciemus: nec capillũ ex noſtro capite deflere ſine illius voluntate: ita in officio ac debita reverentia, & obedientia retinebimur. Scribit Sophocles Aiacẽ, (cùm in expeditionem Troianam cum reliquis Principibus Græcis proficiſceretur, propter Helenam à Phrygio Paride raptã) A Telamone patre monitũ eſſe, ut ſe virum fortem, ac magnanimum pręberet in omnibus: nihil intentatum relinqueret, quod ad vigilantiam, ſolertiam, judicium, ac officium

1. de natvit. deor.

boni ducis ac generoſi videretur pertinere: religionem coleret, ſacra deis faceret, & ab iis eventum rerum felicemque ſucceſſum poſceret. Superbus ac temerarius juvenis patri reſpondit, ignavum quemque Deorum auxilio poſſe etiam victorem evadere. Se autem propria virtute effecturum, ut fortunam ſuperet Diis etiam invitis. Et hac arrogantia Iovem irritatum immiſiſſe furorem; quo percitus Aiax ſæviit in porcos, tanquam in Vlyſſem, quem perditè oderat, ejuſque ſocios: Ac tandem recordatione hujus ſtultitiæ, ſibi manus intuliſſe. Quo exemplo docuit Poëta tragicus Dei Numen terrori ac venerationi eſſe debere omnibus hominibus: cujus potentia & gloria plena ſunt omnia, quique ſui contemptum nũquám ſinit ultum.

CAP. XXIII.

CAPANEVS.



Vrget Echioniam Capaneus temerarius urbem,
Inſultans ſummo voce furente Iovi.
Erigit Electræ ſcalas ad mœnia partæ,
Et rutilo torti fulminis igne perit.

HVc referri poteſt hiſtoria Capanei Hipponi filii: qui una cum Adraſto Argivorum rege & cæteris confœderatis Heroibus ad obſidionem Thebarum Bœotiæ cum exercitu profecti ſunt: ut Polynicē Eteoclis fratrem, & filium OEdipi ac Iocaſtæ Creontis ſororis à fratre regno expulſum in adminiſtrationem reducerent. Cadmus olim ab Agenore patre miſſus eſt ex Sidone Phœniciæ ad diſquirendam Europam filiam, quam Iuppiter tranſtulerat in Cretam: Hic Cadmus poſt lõgos errores in Bœotia conſedit: ubi ex Hermione Martis & Veneris filia ſuſcepit Polydorum filium, & tres filias Semelen, Agaven, Inoa, & cum his Autenoen. Polydorus filium genuit Labdacum: Labdacus Laium: Laius ex Iocaſta ſorore Creontis & Meneci amita habuit OEdippum. Qui in Citherone expoſitus eſt à parentibus. Iocaſta enim ſomniarat, dum adhuc eſſet gravida, ſe peperiſſe gladiū, qui irruens in patrem illum transfoderat, ac blādè cōſederat in ſinu matris. Hoc ſomnio perterriti parentes, puerum natum expoſuerūt, ut à feris

ris laniaretur, & ſic averterent quod ſomnii portendebat atrocitas. Sed puer repertus à quodam paſtore nutritus eſt ab eo : donec adultior factus, Laium patrem incognitum interemit, & Iocaſtã matrem uxorẽ duxit. Ex qua filios duos ſuſcepit Eteoclẽ & Polynicen; filias verò Iſmenen & Antigonã.Cognito poſtea parricidio & inceſtu ſuo, dolore & pœnitentia ſceleris ductus, ſibi oculos effodit:relicto regno filiis, hac cõditione ut ſucceſſivè regnarẽt. Sed dum Polynices Argos eſſet profectus,ubi Argiã Adraſti filiã deſponſavit:reverſus Thebas,cũ à fratre regno ejiceretur,ad ſocerũ ſe recepit:à quo adjutus cum aliis Principib⁹ Thebas ingentibus copiis obſidet: Sed in ea obſidione infeliciter cecidit omnibus. Nã duces omnes,qui hanc expeditionem ſuſceperant,miſerabiliter periere;excepto Adraſto, qui ſe fuga celeri recepit Argos.Meneceus Creõtis fili⁹ ſeſe devovit ad fontem Dirces.Amphiaraus hiatu terræ abſorptus eſt. In urbe imperabat Eteocles. Septẽ portas obſidebãt Principes:Parthenopeus Athalantæ filius foris invadebat portã Neitem : cui in urbe oppoſitus erat Megareus Creõtis filius.Amphiaraus Eclei filius cũ ſuis erat ante portã Prœidẽ:cui Laſton erat cõtrarius in urbe.Hippomedõ Ogygiã obſidebat foris.Illi in urbe opponebatur Hyperbius fili⁹ OEnopis.Tyde⁹ ad potã Homoloidẽ habebat adverſariũ Menalippũ Aſtaci filiũ.

Polynices erat ad portam Creneam. Adraſtus ad Hebdoinem. Capaneus verò Hipponi filius ad portam Electræ: Is, ut natura arrogans & temerarius, in Iovem blaſphemans, jurabat ſe Deo invito ſubverſurum Thebas, & in cineres redacturũ. Sed contigit ut cùm è ſcalis lapidum mole dejectus eſſet, rurſumque conſcendere conaretur, ictu fulminis detruſus eſt, & miſerè excarnificatus. Hæc Æſchilus & Euripides fuſiſſimè deſcribunt: docentque impietatem in Deum nunquã remanere inultam: nihilque de Deo æterno ſentiendum vel dicendum, niſi cum tremore ac reverentia: Ad quod etiam pertinet hiſtoria Salmonei Æoli filii regis Elidis: qui contempto Iove, ſe Deum proponebat adorandum: imitantemque fulmina fictitia, vero fulmine è curru deturbatus periit.

SAB-

CAP. XXIIII.

Sabbathum ſanctifica.

VIOLATOR SABBATHI. Num.15.



Contemptor Legis, dum Sabbatha ſancta coluntur,
Feſta nihil curans otia, ligna legit.
Ducitur ad Moſem: Dominus conſulitur: ille
Extremi patitur funera ſupplicii.

MEMENTO ut diem Sabbathi ſanctifices: Sex diebus operaberis: & facies omnia opera tua: Septimo autem die, Sabbathũ Dñi Dei tui eſt, &c. Hoc præceptum multis in locis repetitum eſt, & ſeveriſſimè prohibetur, ne quis eum
Exo.35 diem Deo ſacrum violet. Sex diebus facietis opus, inquit Dominus: Septimus dies erit vobis ſanctus, Sabbathum, & requies Domini. Qui fe-
Le.26. cerit opus in eo occidetur. Et, Cuſtodite Sabba-
Lev.19 tha mea, & pavete ad ſanctuarium meũ: ego Dñs. Sabbatha mea cuſtodite, & Sanctuarium meum
Exo,16 metuite: Requies Sabbathi ſanctificata eſt Domino: Cras quodcunq; operandum eſt facite: & quæ coquenda ſunt coquite: Quicquid autem reliquum fuerit reponite uſque in manè. Et poſtea
Exo.23 idem repetit. Sex diebus operaberis: ſeptima die ceſſabis; & requieſcat bos & aſinus tuus; & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & advena. Et multis aliis in locis idem mãdatum ſæpius repetitur, quo ſeveriſſimè jubetur ſeptimi diei obſervatio. Voluit Deus ſub hujus diei ſeptimi quiete ſpiritua-

lem

lem figurare quietem; qua fideles debent feriari à propriis operibus, ut Deus in ipſis operetur. Statum quoque diem eſſe voluit, quo ad Legem audiendam, & ceremonias peragendas conveniret populus: vel ſaltẽ quem operũ ſuorum meditationi peculiariter darent Iſraëlitæ; ut hac recordatione ad pietatem excitarentur, & in ea exercerentur. Præterea ſervis, & iis qui ſub aliorum imperio degerent, quietis diem indulgendum cenſuit; quo aliquam haberent à labore remiſſionẽ. Præceptum tamen hoc ſpiritualis quietis adumbrationẽ potiſſimùm docet. Neq; fere præceptũ ullum eſt, cujus obedientiã ſeveriùs exigat Deus, quàm hujus. Nam quoties ſubverſam religionẽ inter Iſraëlitas ſignificat per ſuos Prophetas, polluta, violata, & nõ cuſtodita ſua Sabbatha cõqueritur. Videte ut Sabbathum meũ cuſtodiatis, ait Dominus, quia ſignũ eſt inter me & vos in generationib⁹ veſtris: ut ſciatis quia ego ſum Dñs qui ſanctifico vos. Cuſtodite Sabbathum meum: Sãctum enim eſt vobis: Qui pollucrit illud, morte morietur, &c. Propterea cùm adhuc in deſerto eſſent Iſraëlitæ, & inventus eſſet quidam in die Sabbathi colligẽs ligna, adductus eſt ad Moſem, qui Deum conſuluit quid de tranſgreſſore eſſet faciendum: ore Dñi reſponſum eſt ut moreretur: tractuſque extra caſtra à populo lapidibus obrutus eſt. Quòd verbum domini contempſiſſet, &

Ezech. 20. *Hie. 17* *Exo. 31* *Nũ. 15.*

præceptum illius feciſſet irritum. Neque ſolùm Hebdomadæ Sabbathum fuit ſanctum, ſed & ſeptimo anno quieſcebant terræ ab omni cultura.
Ex.23. Sex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus: Anno autem ſeptimo dimittes eam, & requieſcere facies, ut comedant pauperes populi tui: & quicquid reliquum fuerit edant beſtiæ agri: Ita facies in vinea, & in oliveto tuo. At cùm præceptum hoc ſit ceremoniale, & Chriſti ſervatoris noſtri adventu ceremoniæ completæ ſint, quæ umbræ erant Meſſiæ venturi, ad cujus præſentiam oportuit quod umbratile erat finiri, & ipſum corpus, cujus erant umbrę, retineri: Certum tamen eſt inter Chriſtianos dies ſtatos eſſe debere ad audiendum verbum Dei; & quibus ad orationes publicas conveniamus: utque ſervis & operariis aliqua detur à labore requies. Propterea viſum eſt primorum patrum judicio, diem Dominicum ſubſtituere Sabbatho, ne Iudaiſare viderentur.

BAL-

CAP. XXV.

BALSASAR REX ASSYRIORVM. Dan. 5.



Balſaſar Aſſyriis inſternens prandia menſis
Polluit excelſo vaſa ſacrata Deo.
Exitium emergens veſano dextra Tyranno
Nunciat: & miſcet publica feſta metu.

AD hoc præceptum reduci poſſunt rerum ſacrarum profanatores, qui rebus Deo & pietati dicatis ſuperbè ac contumelioſè abutũtur: uſurpantes ſacrilegio ea quę ad cultum divinum collata ſunt beneficentia piorum patrũ, qui noſtra ſæcula præceſſerunt. In eodem ordine reponendi quoque ſunt, qui indignè beneficia & reditus Eccleſiaſticos occupãt: Quiſquis ea invadit & poſſidet, neque debitum pietati reddit officium, is injuriam facit Deo, & iis qui ſingulari beneficentia ac liberalitate contulerunt neceſſaria Eccleſię, & iis qui piè & fideliter Eccleſiis prę-ſunt. Neque hic reclament iſti ſacrorum occupatores, ea plerumque poſſideri ab indignis, ab Epicureis, & otioſis vẽtribus: Tollatur abuſus, & poſſeſſio cõferatur dignis paſtoribus, qui verbo Dei intenti ſunt, qui ſalutẽ procurãt populi piis cõcionibus, & exhortationibus: quiq; doctrina & vitę probitate ſunt aliis exẽplo. Prętexere hic frivola, & calumnias, ut avaritię ſuę ſatisfaciant, ſtultũ eſt: Abuſus qui a pleriſque cõmittitur, ac Simoniaca illa vẽditio, quę ſemper in Eccleſiis reprobata eſt,

non

nō excuſat ſacrilegiū. Qui benè prȩſunt gregi,nō ſolū duplici honore digni ſunt,ſed omnib⁹ neceſſariis ad vitā cōſervandā.Poſtquā bonis benè providerit Magiſtrat⁹,ſi ſuperſūt plurima, ſūt viduȩ, ſunt orphani,ſunt pauperes & egeni:multa requiruntur ad horū omnium alimoniam & ſubſtētationem.Stipendia ſolvātur inde Profeſſoribus & doctorib⁹ idoneis, qui circa juventutis inſtitutionem ſuā collocāt operā:nō ſolùm iis qui tractāt Theologiam,ſed qui in re literaria, philoſophicis,& alia arte liberali occupati ſunt; quibus humana ſocietas conſervatur,civitates poliuntur,& reſpublica floret: His neceſſariò providendū eſt, ne ignorantia judicium hominū offuſcet, & barbarā ſuperſtitionem pro religione mentibus ſimplicium infundat,quod hacten⁹ factitatū magno & inſanabili piorum dolore vidimus: Nunc autē poſtquā reformatio ubiq; facta eſt,& locum mercenariorum occuparunt pii paſtores,purioris doctrinȩ publicatio promulgata eſt.Invigilēt igitur boni Prīcipes ut hȩc reſtauratio ſuos habeat progreſſus:profanoſq; ſacrorū uſurpatores arceāt ꝓcul.Et meliores in eorum locum ſubſtituāt:ne & ipſi in ſe cōcitent irā Dei,qui ſȩpi⁹ nō patitur impune talia ſacrilegia.Fl.Leo 4.Cōſtātini Copronymi fili⁹ homo multis inquinat⁹ vitiis,ut malū adderet malo,coronā aureā gēmis precioſiſſimis ornatā, quam Maurici⁹ Imperator Deo cōſecrarat, repugnante Cazara matre rapuit de loco ſacro,&

capiti impoſitam cum inſolentia circumtulit per oſtentationem, ſubitoque capiti ejus exarſit antrax peſtilens, quo ſacrilegus magno dolore extinctus eſt; pœnaſque ſuperbiæ & contemptus Divini ſubitò dedit. Balſaſar Nabucadneſeris filius Babyloniorum rex, ſuperbia rerumque felici ſucceſſu elatus, cõvivium inſtituit mille Principibus ſui regni apparatu quo potuit ſplendidiore. Interq; pocula vino incaleſcẽs juſſit in mediũ adferri vaſa aurea q̃ antea pater ejus devictis Hieroſolymis abſtulerat è ſanctuario Dei altiſſimi. Ex iis bibit rex cũ uxóribus &concubinis:cũq; ebrius ſuos Deos extolleret laudibus neglecto ſummo Deo:apparuit ſubitò manus tãquam humana quæ parieti hæc inſcripſit verba MENE TECEL PHERES, quibus prophani regis excidium declarabatur & nunciabatur, propter ſacrorum profanationem, contemptum Dei, & arrogantiam nimiam: eademque nocte eſt occiſus: & il lius regnum à Medis occupatum.

Hono-

CAP. XXVI.

Honora parentes.

ABSALONIS MORS. *Samu.2.*



Davidem regni ſpoliat diademate natus,
Inceſtu patrios auſus inire toros.
Senſit paulo poſt ultoris tela Ioabi,
Funeſtum ramis quando pependit onus.

Q

SVB parentum nomine non ſolùm intelligitur honorem & reverentiam deberi iis qui nos genuerunt, ſed & Magiſtratui, Prçceptoribus, Dominis, & omnibus iis quos Deus nobis præfecit: Quibus jubemur præſtare omnem obedientiam, honorem, & gratitudinẽ. Et quia hoc præceptum de ſubjectione valde repugnat cum humani ingenii pravitate, quod ſuperbia, & celſitudinis appetentia plus æquo ſemper turget; Deus eſt uſus nomine Parentũ, quorũ ſuperioritas naturâ eſt amabilis, ac minimè invidioſa: quæque faciliùs animos noſtros emollire & inflectere ad ſubmiſſionis cõſuetudinem poteſt. Nominatim igitur de Parentum reverentia præcipit, qui nos in hanc vitam tranſtulerũt; ad quam natura ipſa quodãmodo inſtituere nos debet. Monſtra enim ſunt non homines, qui patriã poteſtatem cõtumelia, vel pertinacia infringunt. Ideo omnes parentibus immorigeros ſupplicio mortis affici jubet Dñs, ut beneficio lucis indignos: quòd non cognoſcant quorum opera in eã
Ex.21. pervenerint. Qui percuſſerit Patrem ſuũ aut ma-
Levit. 19. trem, morte moriatur. Qui maledixerit Patri ſuo

vel

vel matri, moriatur. Vnuſquiſque Patrem ſuum & matrem ſuam timeat. Hic dominus contumeliam & contemptum erga parentes vindicat. Et alibi rebellionem morte puniri jubet, cùm ait. Si genuerit homo contumacem & protervum, qui non audiverit patris & matris imperium, & coercitus obedire contempſerit, apprehendent eum, & ducent eum ad ſeniores civitatis, dicentque: Filius hic noſter protervus eſt & contumax; monita noſtra audire contemnit, & commeſſationibus vacat & luxuriæ: Lapidibus illum obruet populus civitatis, & morietùr: ut auferatis malũ de medio veſtri, & univerſus Iſraël audiens pertimeſcat. Idẽ docet Mattheus: ubi Chriſtus reprehendit Iudeos: Cùm ſcriptũ ſit, Honora Parentes, vos autẽ dicitis: Quicunq; dixerit Patri vel Matri, Munus quodcunq; eſt ex me tibi proderit: & nõ honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuã: Irritum feciſtis mãdatum Dñi propter traditionem veſtram. Idemquoque ſcribit Marcus, & Eccleſiaſticus: ubi multis verbis cõmendatur honos & reverentia, quę parentibus debetur. Et Paulus ad Epheſios, Filii, obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim juſtum eſt. Honora patrem tuũ & matrem tuam: quod eſt mandatum primum in promiſſione, ut benè ſit tibi: & ſis longęvus ſuper terram: Et, Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum eſt in Domino. Scriptura

Levit. 20. *Deut. 21.* *Matt. 15.* *Mar. 7* *Eccl. 3.* *Eph. 6.* *Col. 3.*

ſacra plena eſt ubique teſtimoniis, quibus jubemur honorare, revereri, & benefacere parẽtibus. Abſalo Davidis filius ignominioſa morte periit,
Sam.2. quòd patri non ſolùm eſſet immorigerus, ſed etiam quòd inceſtu polluiſſet patris thalamos, & illum regno conatus ſit extrudere. Portentum in natura eſt & mõſtrum, eſſe aliquem humana ſpecie & figura, qui tantùm immanitate beſtias vicerit, ut propter quos hanc ſuaviſſimam lucem aſpexerit, eis officium debitum deneget, offendat,
Pro. 19 & lædat: Cùm feras inter ſe partus & educatio & ipſa natura conciliet. Audi patrem tuum, qui ge-
Pro.20 nuit te, & ne contemnas eum cùm ſenuerit. Qui affligit patrem ſuum, & fugit matrem, ignominioſus erit, inquit Salomon, & infelix.

CHAM

CAP. XXVII.

CHAM PATREM NOAM IRRIDET. Gen. 9.



Muſta racemiferis expreſſit Ianus ab uvis:
Ebrius eſt nato pompa pudenda ſuo.
Culpa levis poterat multis fortaſſe videri:
Quàm gravis hoc tamen eſt pœna ſecuta ſcelus!

PARENTES chariſſimos habere debemus, quòd ab iis vita, patrimoniũ, libertas, civitas data eſt. Magnam vim, magnã neceſſitatẽ poſſidere debet paternus maternuſq; ſanguis: quibus à Deo ſecundum honorem præſtare oportet: niſi ipſi Deo contrarii, ac naturę rebelles velimus videri. Tantùm valet hæc cõmunio ſanguinis, ut cujuſmodicunque ſit pater vel mater, tamen in judicio, filii de turpitudine parẽtum dicere neutiquam debent. Neque ſolùm reticere homines parentum injurias, ſed etiam æquo animo eas ferre & diſſimulare neceſſe ſit: niſi impii velint judicari, & ab omni humanitate alieni. Peccatum eſt horrendum ſacroſanctum violare nomen Parentum. Eſt non ſcripta ſolùm, ſed nata Lex, quam ex ipſa Natura arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam facti ſumus & imbuti, jure divino humanoque inſtituti, ut pro conſervatione eorum, qui nos genuerunt, omnem operam & ſtudium impendamus. Huc referendæ ſunt noſtrę omnes cogitationes, ut eorũ obſequio, honorique, commodis & utilitatibus ſerviamus, à quibus ſumus procreati. Qui nos ita ama-

amarunt, ut in noſtra educatione & inſtitutione omnem diligentiã & indulgentiam conſumpſerint. Proprium igitur munus liberorũ eſt parentes colere, amare, & omni officio proſequi: corũ dignitatem & decus ſuſtinere, & ab iis omnẽ injuriam propulſare. Laudãdus is eſt meritò, qui in Parẽtes ita affectus eſt, ut ſe iis totum dare, in eos ſua omnia ponere & conſecrare officia videatur. Filius ſapiens lætificat Patrẽ: & ſtultus homo deſpicit matrem ſuam. Qui honorat patrẽ ſuum, jucundabitur à filiis: & in die orationis ſuæ exaudietur. Sicut qui theſaurizat, ita & qui honorificat matrem ſuã. Qui honorat patrem ſuũ, vita vivet longiore. Qui timet Dñm, honorat Parentes: & quaſi dominis ſerviet iis, à quibus genitus eſt. In opere & ſermone, & omni patiẽtia honora patrẽ tuũ, ut ſuperveniat tibi benedictio à Deo: & benedictio illiꝰ in noviſſimo manet. Benedictio Patris firmat domum filiorum: maledictio autẽ matris eradicat fundamenta. Honora patrem tuũ; & gemitus matris tuę ne obliviſcaris: Memẽto qm̃ nõ fuiſſes natus, niſi per illos. Retribue illis, quomodo & illi tibi. Monſtrũ in natura eſt qui parẽtum curam excutit, & illis debitum officium, & reverentiã pernegat: Quique injuriam infert iis, pro quibus ipſã vitã, ſi neceſſe ſit, deberet impandere. Qui maledicit patri ſuo & matri ſuę, extinguetur lumẽ ejus in medio tenebrarũ. Oculũ, qui

Pro. 15. (margin, beside "Filius ſapiens…")
Eccl. 3. (margin, beside "matrem ſuã. Qui honorat…")
Pro. 20 (margin, beside "reverentiã pernegat…")

Pro.30 deſpicit patrem,&contemnit partum matris ſuę, effodient eum corvi de torrentibus,&comedent eum filii aquilæ. Ne glorieris in cõtumelia patris
Eccl.3. tui:non enim eſt tibi gloria, ſed confuſio. Gloria hominis ex honore patris ſui: & dedecus filii pater ſine honore.Fili ſuſcipe ſenectam patris tui:& non contriſtes eum in omni vita illius:Et ſi defecerit ſenſu,da veniam: Ne ſpernas eum in virtute tua.Quàm malę famę eſt,qui derelinquit patrem: & maledictus eſt à Deo, qui exaſperat matrem
Gen.9. ſuam. Cham protervus & petulans Noę filius patrem vino ſopitum,quod ab uvis recenter expreſſum biberat largiùs, cùm decumberet indecentiùs, diſcopertis pudendis, ſubſannavit & irriſit: ejus fratres Sem & Iaphet averſa facie patrem texerunt: ideo hi benedictionem patris obtinuerunt, ille maledictionem ſibi ac toti poſteritati acquiſivit ſua impietate:cui acceſſit &deteſtanda incantatio,qua patris virilia contrectando ſterilia in poſterum reddidiſſe tradit Beroſus.

ATOS-

CAP. XXVIII.

ATOSSA AB ASSVERO REIECTA.



Aſſuerus Perſis celebrat convivia: coniux
Regia contemnit non benè ſana virum.
Tantus regali faſtus privatur honore:
Reiectæque ſubit mitis Hediſſa locum.

IN bonis hujus vitæ, locum non ſecundũ obtinet conjugium tranquillum: quod cõtigit illi, quem Deus beavit, & cui benè proſpexit. At in hac vocatione cavendum eſt
Gen. 3. ſũmopere, ne vir poteſtate, quã illi ſummus Creator detulit, abutatur ſuperbia, immanitate, faſtu, aut moroſitate. Mulierem, quæ eſt natura imbecillior, cujus affectus magis incõpoſiti, prudentia minor, ita ſublevet, defectus diſſimulet, & toleret patienter, ne illius exacerbet animum, & ab officio divertat. Nihil eſt laudabili⁹, nihil magno & pręclaro viro dignius placabilitate & clemẽtia: Quæ ita probanda eſt, ut non ſolùm in reipublicę gubernatione, ſed etiam in adminiſtratione rei domeſticæ adhibeatur. Vxor viri difficultate & moroſitate exacerbata, nec maritum amabit, nec cõmunium librorũ curã geret, nec q̃ ad familiæ utilitatem ſpectãt procurabit. Si virum redamet, ſecundas res ſplendidiores faciet, & adverſas cõſolatione opportuna mitigabit: nec afflictũ animum debilitari, aut cadere victum dolore patietur. Quiſquis probã & frugi contemplatur uxorem, tanquam aliquod exemplar intuetur ſui. Nã in hac conjugali amicitia omnia inſunt quæ putant

tant homines expetenda: honeſtas, gloria, tranquillitas animi, atque jucunditas: ut cùm hæc adſint, vita beata ſit, & ſine iis eſſe non poſſit. Diligi, certè, & charum eſſe jucundum eſt: nam id vitam tutiorem, & voluptatem efficit pleniorem. Sine uxoris benevolentia, neq; in ſecundis rebus, neque in adverſis quiſquam vivere poteſt. Quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his operę noſtræ vicaria fides uxoris aptè ſupponitur. Quã qui lædit, oppugnat cõmune omnium præſidiũ, & quantùm in ipſo eſt diſturbat hominum ſocietatem: nõ enim poſſumus per nos omnia agere. Ideo Deus optimus maximus, poſtquam creaſſet hominem, vidiſſetque non eſſe bonum illum eſſe ſolum, fecit illi adjutoriũ, nempe mulierem, quam de coſta formavit Adami: quæ eſt caro de carne, & os de oſſibus viri. Ex hac creatione inducimur natura, præter præceptũ divinum, quod ſeveriſſimè jubet, ut reciproca benevolentia vir uxorem, & uxor maritum diligat, & commune utriuſque commodum & neceſſaria mutuis officiis gubernent. Omnium ſocietatũ nulla præſtãtior eſt, nulla firmior, nulla ſuavior, quàm quæ à Deo patre charitatis ſtabilità eſt à principio, inter virum & cõjugem: in quibus eadem ſunt ſemper ſtudia, eędem voluntates; & in his ſit ut æquè quiſque altero delectetur ac ſeipſo, fiatq; unus ex duobus. Mulieris bonę beatus vir: Numer⁹ illorũ

Gen. 2.

Eccl. 25

duplex.Mulier fortis oblectat virum ſuum,& annos vitæ illius in pace implebit.Pars bona mulier bona; in parte timentium Deũ dabitur viro pro factis bonis. At cùm mulier creata ſit propter virum,non vir propter mulierem, ideo jubetur viro ut ſuo ſubdita ſit, illi obtemperet, & morem
1.Co.11 gerat. Nam ut Chriſtus omnes viri caput eſt, ita vir mulieris eſt caput.Quæ ordinem à Deo ſtabilitum pervertit contumacia & inobedientia, ordinationi divinę reſiſtit, & ab officio recedit. Atoſſa,quę Vaſthi dicitur in ſcripturis,licet Cyri filia illuſtri nobilitate, & ſanguine regio nata, cũ ab Aſſuero marito jubetur venire in cœnaculum (in quo Rex celebre convivium inſtituerat Perſis Principibus) ut à convivis videretur: dum viri imperio ſuperbè recuſat parêre,meritò ſententia omnium rejecta eſt,& illius locum occupavit Hediſſa Mardochei neptis quæ eſt Eſther.

IOBI

CAP. XXIX.

IOBI VXOR, ET TOBIÆ. *Iob.2.Tob.2.*



Importuna viro res eſt temeraria coniux:
Qua nihil in vita triſtius eſſe poteſt.
Anna ſuum probris cruciat moroſa Tobiam:
Atque uxor Iobo eſt impietate gravis.

QVIA Deo omnipotenti ſuæ diſpoſitionis conſervatio cordi eſt; ideo juſſit ordinatos ab ipſo eminētię grad⁹ inter nos inviolabiles permanere. Statutū igitur eſſē inter homines debet, ſi Dei mandatis ſe voluntariè cupiant ſubmittere, ut ſuſcipiant & colant eos quos Deus illis præfecit. Ad quod præceptum referri debet mutua obſervantia, quam uxor marito jubetur tribuere; & amor mariti erga uxorem. Idē Deus qui præcipit: Vxores viris ſui ſubditæ ſint
Eph. 5. ſicut domino: quoniā vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ipſe ſervator corporis ejus. Et ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus obtemperent. Subjicit ſtatim Paulus. Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiā, & ſeipſum tradidit pro ea. Et multa in húc ſenſum ab Apoſtolo adjecta ſunt. Viri diligāt uxores ſuas ut corpora ſua: Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo unquam carnem ſuā odio habuit; ſed nutrit & fovet eā, ſicut Chriſtus Eccleſiam: quia
Gen. 2. membra ſumus corporis ejus, & oſſa de oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & ma-

trem

trem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo *Colo.3.*
in carne una. Et alibi idem Apoſtolus, Mulieres,
ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet in domino. Vi-
ri, diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad- *1.Pet.3*
verſus illas. Et Petrus, Mulieres ſubditæ ſint viris
ſuis: ut ſi qui non credunt verbo, per mulierum
converſationē ſine verbo lucri fiant; cōſiderātes
in timore cōverſationē veſtrā. Sicut Sara obedie- *Matt.*
bat Abrahæ, dominū eum vocans. Et Mattheus, *19.*
Propter hoc dimittet homo patrem & matrem,
& adhęrebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una.
Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod er-
go Deus conjunxit, homo non ſeparet. Nulla un-
quam fuerunt ſæcula, quibus hoc non fuerit uſi-
tatum, & jure divino humanoq; ſtatutum ut mu-
lieres maritis ſuis amorem & reverētiam tanquā
ſuperiori poteſtati pręſtarent. Imo plurimas ma-
tronas olim legimus tanto affectu fuiſſe proſecu-
tas viros ſuos, ut mori maluerint, quàm fidem il-
lis ſemel obligatam ulla in re violarent, aut in-
fringerent. Inter quas Artemiſia Halicarnaſſi re-
gina Mauſoli regis Cariæ uxor, marito mortuo
noluit ſupervivere. Hypſicratæa Mithradatem
maritum regem Ponti à Pompeio magno ex-
pulſum regno, veſte Perſica induta, & in habi-
tum virilem formata, animo pariter ac corpore
indefeſſa in exilium per efferas gentes uſque ad
Bactrianos ſecuta eſt. Evadne in rogum, quo

Capanei viri ſui corpus ad Thebas ictu fulminis extincti cremabatur, ſeſe præcipitem dedit. Panthea Abradatæ Suſienorum regis uxor, conjugẽ cæſum morte ſocia cõplecti maluit, quàm à Cyro victore & benevolo ſervari & honorari. Arria, Pæti mariti ſuppliciũ ne videret ſeſe gladio trãſverberavit. Infinita ejuſmodi exempla in hiſtoriis legimus, quæ licet Chriſtianam pietatem nõ referant, ex iis tamen animadvertimus ſingularẽ amicitiam, affectum, & reverentiam, qua mulieres generoſiores maritos ſunt proſecutę. At inter malas fœminas ſcriptura ſacra nobis duas proponit, quæ moroſitate & acerbitate animorum magnum ſibi dedecus apud poſteritatem compara-
Tob.2. verunt. Quarum una recitatur Anna, quæ Tobiæ cæcitatem & hypocriſin amarulenter exprobat, quòd vir pius uxoren rogaret ne furtum adferret
Iob.2. in domum ſuam. Altera fuit uxor Iobi, quæ marito afflicto inſultans, illum hortabatur ad cultum deorum peregrinorum, relicto vero Deo.

ROSE-

CAP.XXX.

ROSEMVNDA VXOR ALBOINI.



Vt bibit è cranio cæſi Roſemunda parentis,
Immane ulta viri eſt ſanguinolenta ſcelus.
Auctoris cædis nubit: cui mixta veneno
Vina dat: & pœnas mox peritura luit.

NIHIL eſt quod magis labefectet, imo prorſus corrumpat & evertat humanam ſocietatem, quàm neglectum officium. Qui cæteris à Deo præpoſiti ſunt, caveant ne per faſtum & ſuperbiam peccent, & eos injurii contemnant, quos ope, conſilio, benevolentiaq; debent conſervare. Rarò tamen cõtigit hominem evectum ad ſublimiorem dignitatis gradum nõ inſoleſcere. Vt plurimùm fere ſui omnes obliviſcuntur: neglectoque jure & modeſtia patiuntur ſe huc & illuc per omnẽ licẽtiam præcipites rapi: dũ exardeſcunt mali affectus ſuperbiæ, indignationis, iræ, inſolentiæ, avaritiæ, aut libidinis. Quæ monſtra erroribus implicant animum, aciem oculorum mentis ac judicium faſcinant & obtundunt. Difficilè eſt ejuſmodi vitiis occupatos ſeſe continere intra modeſtiæ terminos. Pauci hanc ſententiã re vera exſequũtur. *Plus liceat quã libeat.* Ferè omnibus quod licet libet, imo plus multo libet quàm licet. At cùm in omni ſtatu & conditione vitæ peccetur graviſſimè à multis. Ex hac potiſſimùm officii deſertione multa mala emergunt & excitãtur in conjugio: In quo niſi viri ſeſe gerant prudẽter, niſi ſuas uxores redamẽt, niſi multa tolerent & patiẽter ferant in hoc imbecil-

lo

lo & fragili ſexu, facilè contaminatur & diſſolvitur ſacroſanctum hoc vinculum, quod Deus indiſſolubile ſtatuit, cùm ex duobus corporibus unum effici præceperit communione, & conjunctione corporis & animi. Ne igitur ſuperbè ſua autoritate abutantur mariti: ſed ſciāt ejuſdem juris participes eſſe uxores: ſubjectas quidem viro tanquam capiti, ſed non ſervili ſubjectione: eas qua fieri poteſt benevolentia complexi blandè moneant, non amarè, neque per cōtemptum vel ludibrium reprehendant; ne irritatæ debitū māritis officium deſerant, & earum amor in odium implacabile rabiemque convertatur, ſeraque facti pœnitentia morbo inſanabili fruſtra medelā quærant. Alboinus Lōgobardorum rex, poſtquā Cunimundum regem Gepidarum bello ſuperaſſet, ejuſque regnum prędа & incendio depopulatus eſſet, abducta Roſemunda ejus filia: Captivū regem truncavit capite, & ex ejus cranio curavit ſibi pateram efformari, in qua per triūphum biberet. Factumque eſt ut ſua ſorte non contentus trājecerit ex Pannonia in Italiam: eamque totam planiciem quę eſt ad Padum devictis Italis occupaverit: & ſibi regiam ſtabilivit Ticini, quam Papiam dicimus. Cumque Veronæ ſolemne cōvivium cum Principibus regni inſtituiſſet viciſſim omnibus ex Gepidę regis cranio propinavit, multa inſolenter effuciens in victi ludibriū præſente

etiã Roſemunda quã tunc uxorẽ duxerat ꝓpter inſignes corporis animiq; dotes, eam etiã adegit ex eadã patera cũ cęteris bibere. Hac immanitate exulcerata & irritata mulier, marito mortẽ ꝓcuravit;primò per Helmelſchildẽ nobilẽ ac ſtrenuũ juvenẽ: qui cùm parricidiũ recuſaſſet ad Peredeũ æquitẽ nobilẽ ſe convertit;is quoq; parricidii negotiũ nõ accepit.Roſemunda ut aggreſſũ facinus exequeretur, Peredeo ſe clã proſtituit:qui rem ſe habere cum alia puella crediderat. Cui mulier exclamans inquit,aut Alboinũ occides,aut ab eo trucidaberis adulter.Peredeꝰ cùm ſibi perniciẽ videret paratã niſi obſequeretur, cũ Helmelchilde & regina Regẽ aggreſſi illũ occidunt pomeridiano ſomno vacantẽ, ſublatiſq; theſauris regiis, & abducta ſecũ Alviſindi filia Alboini ex priore uxore Ravennã fugiũt ad Lõginũ,qui Italiæ pręfectus erat àTiberio filioCõſtãtini Imperatoris:At Lõginus amore Roſemũdę captꝰ,illi perſuaſit ut Helmelchilde ſublato ſimul cõtraherent matrimoniũ:Quod mulier q̃ dominatũambibat facilè ꝓmiſit:Porrectoq; marito in potu veneno à balneo redeunti, cùm ſenſiſſet veneficium, exerto gladio mulierem adegit, ut quod de potione ſupererat biberet: Ita mortuus eſt uterque merito exitio:Longinus verò Alviſindem puellam,cum theſauris regiis trãſmiſit Cõſtantinopolim, & cũ ea Peredeũ, quẽ priùs effoſis oculis viſu privavit, ut luce indignũ, qui regẽ & dñm ſuũ trucidaſſet.

CAP. XXXI.

MARIA MOSIS SOROR LEPROSA. Nũ.12.



Stulta ſoror Moſem dictis proſcindit amaris,
Æthiopis thalamos turpiter obiiciens.
Sed Deus inſanæ lepra convitia linguæ
Sedat: fraterna eſt quæ medicata prece.

DEus omnes homines poteſtati ſublimiori ſubjectos eſſe voluit. Reges, Principes, & Magiſtratus à Deo ordinatos nemo eſt tam perfrictæ frontis qui audeat negare, quibus aliquam honoris participationem ſecum
Rom.13 communicat. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit,inquit Paulus: Nō enim eſt poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt,à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati,Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi dānationem acquirunt.Principes enim non ſunt timori boni operis,ſed mali: vis non timere poteſtatem?fac bonum,& habebis laudem ex illa:Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autē malum feceris,time. Nō enim ſine cauſa geſtat gladium. Dei miniſter eſt vindex in iram ei qui malum agit. Itaque neceſſitati ſubditi eſtote; non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Miniſtri Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. Idem quoque jubemur pręſtare Domini Ieſu imperio:
Matt. 22. Nam cùm interrogaretur à Phariſæis, an Cæſari tributum eſſet pendendum: Reddite,ait,quæ ſūt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Quod &

Paulus

Paulus pręcipit:Reddite omnibus debita: cui tri- Rō. 13.
butū tributū: cui vectigal vectigal;cui timorē ti-
morem:cui honorē honorem.Et Petrus,Subjecti 1.Pe.2.
eſtote omni humanę creaturæ propter Deum:ſi-
ve regi,tanquam præcellenti: ſive Ducibus, tan-
quam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum,
laudē verò bonorum. Quia ſic eſt voluntas Dei,
ut benè facientes obmuteſcere faciatis imprudē-
tiam ignorantium.Et Paulus adTimotheum ſcri
bēs,jubet ut publicè fiant preces pro regibus. Ob
ſecro primùm omnium fieri obſecrationes, ora- 1.Ti. 2.
tiones,poſtulationes,gratiarum actiones ꝓ omni
bus hominibus,pro regibus,&pro omnibꝰ qui in
ſublimitate cōſtituti ſunt: ut quietā & tranquillā
vitā agamus in omni pietate & caſtitate. Hoc enī
bonum eſt,& acceptum,corā ſervatore Deo nr̄o.
& alibi,Admone illos Prīcipibus & poteſtatibus Tit.3.
ſubditos eſſe,dicto obedire,ad omne opꝰ bonum
paratos eſſe. Et Deꝰ vetuit; nequid ſiniſtri de ma-
giſtratu ſentiamus,aut dicamꝰ. Diis nō detrahes,
inquit (ita judices & Magiſtratus ſæpe appellat Exo.22.
ſcriptura, propter imperium quod illis Deus in
ſubditos homines communicat, tanquam ſuæ
potentiæ vicarios) & Principi populi tui nō ma-
ledices. Sicut rugitus leonis,ita terror regis,Qui Pro.20
provocat eum, peccat in animam ſuam. Moſem
Dn̄s conſtituerat ſuper Iſraëlitas Ducē & Princi-
pem, per quem educerentur de jugo ſervitutis

Ægyptiorum, quod miſeri ferre non poterant. Illius autem dominatum, licet mitem & tolerabilem, plurimi de populo ferre diu nõ potuerunt licet nihil faceret ſine Dei expreſſo mãdato. Quotidie tamen, ut mens hominum rebellis eſt & cõtumax, multi murmurabant, & frænum excutiebant: qua re irritatus Deus ſæpius in ſeditioſos gravibus exarſit ſuppliciis. Inter eos Maria ipſa & Aaron, fratris Moſis autoritatem per contemptum minuentes, illi exprobarunt nuptias quas contraxerat cum Madianita muliere, quam ob colorem Æthiopiſſam vocabant. Deus autem iratus dixit: Servuus meus Moſes in omni domo mea fideliſſimus eſt. Ore enim ad os loquitur illi Dominus: Palam & non per ænigmata, & figuras
Nũ.12. videt Dominum. Quare ergo non timuiſtis detrahere illi: Propterea lepra percuſſa eſt Maria: à qua poſtea Moſis interceſſione apud Deum ſanata eſt.

AMON

CAP. XXXII.

AMON A SVIS CÆSVS. 2.*Paral.*33.



Audent in dominum ſcelerati inſurgere ſervi, &
Sanguine ſacrilegas contemerare manus.
Supplicio ſontes populus punivit acerbo:
Et Ioſiam patrio reſtituit ſolio.

T

MAGISTRATIBUS opus eſt ſine quorũ providentia & diligentia civitas in integrum conſervari non poteſt: nam horum deſcriptione & prudẽtia omnis Reipublicæ moderatio cõtinetur. Rex enim, qui benè imperat, ſecundo poſt Deum (cujus perſonam gerit) honore dignus eſt. Is & populos regit, ſtabilit Leges, pietatem promovet, caſtigat improbos, tuetur bonos, laudat claros viros, hortatur ad decus, revocat à flagitio, conſolatur afflictos: Datque omnem operam, ut juris ac judiciorũ æquitate ſuum quiſque teneat: ut neque tenuiores propter imbecillitatem circumveniantur, neque locupletibus ad ſua vel tuenda, vel recuperanda obſit invidia. Neq; ſolùm videt quid agatur, verùm etiam providet quid futurum ſit: ſtudetque quãtum fieri poteſt, civium commoda defendere, non divellere, atque omnes æquitate eadem continere: ſuamque ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere: quę omnia ad boni Principis officium pertinent: Qui ut tutelam multorum gerit, ſic procurat ut omnia ad utili-

utilitatem eorum qui illi cōmiſſi ſunt benè ſuccedant. Quicunq; ſummi hujus Magiſtratus autoritatem, honorem, & reverentiam violat, impius eſt:Deique irritat iram ac judicium. In cogitatione tua Regi ne detrahas: & in ſecreto cubili *Eccl.9.*
tuo ne maledixeris diviti. Time Deum,fili mi,& *Pro.24*
Regem. Imo qualiſcunque Princeps aut Magiſtratus ſit, illi parere & obtemperare jubemur, dummodo nihil contra pietatem,conſcientiam, vel Dei mandata jubeat. Nam Deus in omnibus primus eſt audiendus: cui timor & obedientia præſtanda eſt: Timere enim nos præcipit eum qui poteſtatem habet perdere corpus & animam ſimul, non eos qui tantùm poſſunt tyrannidem exercere in hanc vitam. Sæpe cōtingit ut propter noſtra peccata Deus nobis præficiat tyrannos, crudeles,avaros,effœminatos,aut ſtultos. In manu Dei cor Regis eſt. Malos ita compellat Salomon.Audite Reges, diſcite judices finium terræ: *Sap.6.*
Præbete aures,vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: Quoniam data eſt vobis à Dño poteſtas,& virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis: non cuſtodiviſtis Legem juſtitię,neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtir. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam judicium duriſſimũ in iis qui præ-

ſunt fiet. Exiguo conceditur miſericordia, potẽtes autem potenter patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus, qui eſt omnium dominator, nec verebitur magnitudinem cujuſquam. Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqua eſt ei cura de omnibus. Fortibus autẽ fortior inſtat cruciatio. Hæc cùm nobis in mentem veniũt, voluntati Divinæ nos ultro ſubmittemus, jugũ cœlitus nobis impoſitum patienter ferentes; cùm ſciamus id Deo placere: neque permittet inultã malorum tyrannidem & violentiam: in quos tamen inſurgere nemini permittit, neque in eos cõſpirare, quantumvis difficiles & moroſi videantur:
2. Par. 33. Dum in Ammonem regem Iuda domeſtici conſpirant, illiq; manus inferunt & interficiunt, impietatis & parricidii meritas luũt pœnas, dum à populo excarnificantur: Non enim vult Deus autoritatem magiſtratus à ſubditis contemni, multo minus violari & infringi: quacunque ad id impelli poſſint occaſione, aut cauſa.

CORE

CAP. XXXIII.

CORE, DATAN, ET ABYRON.



Imperium Moſis detrectat Iſaare natus,
Cumque ſuo inſultans fratre Abyrone Datan.
Protinus abſorpti vaſto telluris hiatu
Supplicium irato ſuſtinuere Deo.

AD hoc præceptum meritò referri debent ii, quorum miniſterio Deꝰ inſtruit populum ſuum. Et qui fideliter munꝰ adſignatũ exequuntur, ii duplici honore digni ſunt. Quod enim populo audienti proponunt, nõ ex ſeipſis, ſed ex Dei verbo proponũt. Propterea voluit Deus ſeverè de iis ſupplicium ſumi, qui ſacerdotibus Eccleſiæ rebelles eſſent, & immorigeri.

Deut. 17. Qui ſuperbiverit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tẽpore miniſtrat Domino Deo, ex decreto judicis morietur ille, & auferes malum de Iſraël: cunctuſque populus audiens timebit, & nullus deinceps intumeſcet ſuperbia.

Exo, 16 Cùm Iſraëlitæ murmurarent contra Moſem & Aaronem, illiſque exprobrarent quòd ab iis educti eſſent ex Ægypto, ut fame enecarentur in deſerto. Non contra nos, reſponderunt, eſt murmur veſtrum, ſed contra Deum.

1.Co.4. Et Paulus loquens de iis qui præſunt inſtitutioni populi, & prædicationi Evangelii, inquit. Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei.

Theſ.4 Et alibi, de doctrina loquens quam proponebat.

nebat. Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum,qui etiam dedit ſpiritum ſuum in nobis. Apoſtoli dicuntur in Evangelio Sal terræ, & Lux mūdi nam his titulis illos Dñs Ieſus inſignit. Qui vos audit me audit,& q vos ſpernit me ſpernit: Qui autē me ſpernit ſpernit eum q miſit me. Quicunq; nō receperit vos, neque audiverit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel civitate,excutite pulverem de pedibus veſtris.Amen dico vobis; tolerabiliùs erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die judicii,quàm illi civitati.Neq; eos tantùm debemus honorare,qui fideliter præſunt Eccleſię, ſed etiam eis providere de omnib⁹ neceſſariis. Propterea voluit Deus Levitis decimas ſolvi quotannis;& oblationum ſacrificiorumque partes tribui in eorum alimoniam, ut ſervitio Dei vacarent liberiùs; & ſacra tractarent attentiùs nullis aliis occupationibus impliciti. Æquum eſt eos, qui doctrinam Evangelii annunciant, & populum docent quæ ad eorum pertinent ſalutem,aliquo gratitudinis officio juvari. Quis militat ſuis impendiis? inquit Paulus. Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus,magnum eſt, ſi nos veſtra carnalia metimus? Ita Dominus ordinavit, eo qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Neque hic moroſi homines hæreant, prætexantque ſuæ ingratitudini vitia,

Mat. 5 *Luc. 10* *Ioā. 13.* *Mat. 10.* *Mar. 6.* *Cor. 9.*

quæ plerunque videntur in Præfectis Eccleſię,ut propter hæc alienentur ab officio. Doctrina eſt quæ commendatur:& perſonæ honorantur pro-
Lu.10. pter miniſterium ad quod electi ſunt. Super ca-
Ioã.13. thedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſęi:Omnia quæcunque dixerint vobis facite, opera verò
1.Ti.5. illorum nolite facere. Qui benè præſunt Præsbiteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina. Qui autem illos contempſerit, non dubium eſt quin Deum graviter offendant,& ſibi judicium theſaurizent.
Nu.16. Oppoſuerunt ſeſe Moſi Coré,Datan,& Abyron, cum ducentis & quinquaginta viris Iſraëlitis:qui eorum Præfecturam à Deo adſignatam rejicientes,in ſacerdotium ſeſe ingerere conati ſunt,multis contumeliis in Moſem & Aaronem cõgeſtis: quibus irritatus Dñs rebelles & contemptores terræ hiatu abſorptos perdidit,reliquos flammis conſumpſit. Vt exemplo eſſent cæteris ac poſteritati eorum, ne in tantam impietatem & ingratitudinem erga ſervos Domini laberentur.

ASA

CAP. XXXIIII.

ASA, ET ANANI PROPHETA. 2. Par. 16.



Pulchrum eſt expulſa fregiſſe idola Maacha:
Deſere cum ſocijs fœdera facta Syris.
Carcere nec claudi innocuum patiare Prophetam;
Qui mandata alti te docet, Aſa, Dei.

V

INTER eos qui populo præſunt, excellens munus à Deo tributum eſt ſacerdotibus, & Miniſtris Eccleſię, qui verbũ Dei fideliter exponunt & docent. Quibus qui reſiſtit, Deo reſiſtit, & ſibi condemnationem acquirit. Conſtituti enim ſunt à Deo, ut prædicatione Euangelii doceatur populus, & adducatur ad cognitionem Dei, & ſuæ ſalutis, quæ eſt in Chriſto ſervatore noſtro. Hos qui non audit, nõ audit eum qui miſit eos: & rei fiunt ſuæ perditio-
Lu.10. nis: ut ait Dominus. Remiſſiùs erit Sodomæis in die judicii, quàm iis qui Dei verbũ annunciantes rejecerint. Quàm ſpecioſi nobis igitur eſſe debẽt
Eccl.7. pedes evangelizantium pacem? In tota anima tua time Deum, & ſacerdotes illius ſanctifica. Honora Deum ex tota anima tua, & ſacerdotes illius. Da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum, & purgationis: idem quoque mandat
Gal.6. Paulus. Communicet is qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat in omnibus bonis: Sunt enim Legati Domini, quibus commiſſi ſunt theſauri gratiæ, quam obtinemus fide per Chriſtum. Fides ex auditu: auditus per verbum Chriſti: Omnis

nis qui invocaverit nomen Dei,ſalvus erit.Quo- Rō. 10.
modo invocabunt eum, in quem non credide-
runt? & quomodo credent ei,quem non audive-
runt? Quomodo autem audient ſine prædican-
te? Quomodo prædicabunt,niſi mittantur? Or-
do enim qui à Deo conſtitutus eſt in adminiſtra-
tione ſuæ Eccleſiæ ſervandus eſt ſanctè: & obſer-
vandi cum reverentia ii, qui ad hanc curam vo-
cati ſunt:neque violandi rebellione, cōtumacia,
aut ingratitudine qui nobis ſunt præpoſiti. Dei
enim miniſtri ſunt: Vnicuique tribuēdum quod
debetur:ſive propheta, ſive doctor,ſive linguarū
ſit interpres: Gratiæ diverſæ diverſis tribuuntur,
prout expedit ad ædificationem Eccleſiæ pro-
movendam. Gratia multiplex eſt in Eccle- 1.Co.12.
ſia: Inqua poſuit Deus quoſdam Apoſtolos,
Prophetas,doctores, virtutes, gratias curationū,
opitulationes,gubernationes,genera linguarum,
& interpretes. Vnicuique data eſt gratia ſecun-
dum menſuram donationis Chriſti. Tota Eccle-
ſia, Chriſti eſt corpus: & in uno corpore omnia Rō. 12.
membra non habent eundem actum:ita multi u-
num corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem al-
terius membra: habentes donationes ſecundum
gratiā quæ data eſt ſingulis, ſecundū rationem fi-
dei,&c.Vtque Gratię dona differunt,ita &honos
unicuique tribuendus eſt pro dignitate:unicuiq;
providendum pro neceſſitate: Neque ulla pars

officii in bonos paſtores deſererenda eſt: mancũ enim noſtrum eſſet ſtudium, ſi eos honoremus verbis, quorum indigentiæ non ſubveniamus: & ſi in uno ferventes, in alio remiſſi aut planè frigidi cognoſcamur. Rem præclaram geſſit Aſa rex Iuda, quòd idola gentium confregerit, lucos ſucciderit: quòd matrem ſuam Maacham (quæ turpiſſimis Priapi ſacris initiata Principẽ myſteriorum Dei obſcœni ſe cõſtituiſſet) à regni ſubmo-
2. *Par.* 16. viſſet adminiſtratione. Peccavit graviſſimè cùm Prophetam Anani monentem ut ſocietatẽ cum Benadad Syriæ regem deſereret, Dei miniſtrum contumeliis affectum in vincula protruſit: Ea enim eſt cordis humani ſuperbia, ut ad reprehenſionem facilè intumeſcat, inſurgatque faſtuoſè in eos, quorum munus eſt arguere peccata delinquentium. Et iram Dei in contumaces & rebelles annunciare: Factumque eſt ut Aſa dolore pedum acerbiſſimo vexatus mortuus ſit.

SENE-

CAP. XXXV.

SENECÆ MORS.



Roma hilarem vidit materna cæde Neronem:
Et patriæ immiſſis tecta cremata rogis.
Sed magis obſtupuit, Senecæ dum fata Magiſtri
Crudeli eſt auſus ſolicitare manu.

NVLLUM munus ad Reipublicę utilitatem præſtantius, aut laudabilius conferre poteſt vir bonus, vel magis neceſſariũ, poſt inſtitutionem populi & miniſterium Evangelii, quàm ſi doceat, atque erudiat juventutem: iis potiſſimùm moribus, atq; artibus, quibus politur vita humana, excitatur pietas, & ad ſocietatẽ generis humani maximè ſunt accommodati. Nemo eſt liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magiſtri ſui, atque doctores cum grata recordatione in mente verſari ſemper debeant. Et cùm vita omnis ſine literis & eruditione mors ſit, & hominis ſepultura: ii, certè, quorum opera inſtruimur & erudimur, colendi meritò nobis ſunt. Multum enim præſtant beneficiorum civitati benè ordinatæ Præceptores docti & diligentes, quique munus ſuum fideliter & cum vigilãtia ſolertiaque exequuntur. Nemo egregius civis fieri poteſt, qui non ſit in bonis diſciplinis inſtitutus. At cùm omnes in id ſtudium incumbere debeant, ut patriæ proſint quantùm fieri poteſt: ii præ cæteris maximè commendandi ſunt, quorum ingenio atque opera publica promove-

tur

tur utilitas: ut ſunt ludimagiſtri & ſcholarum rectores, qui juventutem moderantur. Quòd ſi cōtentio, & comparatio fiat, quibus plurimùm tribuendum ſit officii, Parentes, Principes, Eccleſiæ præpoſiti, & Pręceptores primum ſemper locum obtinebunt. quorum beneficiis unuſquiſque obligatiſſimus tenetur. Nihil eſt tam inhumanū, tam tetrum, tam immane, quàm committere, ut beneficio non dicam indignus, ſed victus eſſe videare. Et cui gratia referri non poteſt quanta debetur, habenda tamen eſt quantam maximam animi noſtri capere poſſunt. Nam ſicut à parentibus vita, patrimonium, civitas, libertas tradita eſt: ita à præceptoribus doctrina & eruditio, animorumque formatio nobis conceſſa eſt. Incertumque videtur eſſe cui magis obligati ſimus, Præceptori vel parentibus: cùm hi corporis, ille ſit animorum formator. Boni meritò judicandi ac dicēdi ſunt qui Præceptoribus benè de ſe meritis tota vita benè faciunt, eos colunt, eos diligunt, gratiamque pro acceptis beneficiis quantam poſſunt referunt. Nemo eſt tam ingratus, tā impius, tamque nullius humanitatis, qui ſi parētum Præceptorumque merita reſumere velit, non eos omni officio &honore dignos eſſe fateatur; æquumq; cenſeat grata eorū nomē memoria proſequi, quorum beneficio vita data eſt, & exculta. Illi æterna ſuperſunt gaudia, & alma

quies,& in urna perpetuum Ver,famaque venturum ſemper præclara per ævum, qui Pręceptorem chari voluere parentis eſſe loco. Illumq; dedecus inſequitur, ac pœnitentia dolorque animi cruciat qui ſe magiſtri fidelis & boni indignum
Pro.15. præſtitit. Qui abjicit diſciplinam, odit animam ſuam:qui autem acquieſcit increpationibus poſſeſſor eſt cordis.Cur deteſtatus ſum diſciplinam,
Pro. 5. & reprehenſionibus non acquievit cor meũ? nec audivi vocem docentium me, & magiſtris meis non inclinavi aurem meam? Reſpicit Dominus vias hominis, & greſſus ejus conſiderat:ipſe morietur quia non habuit diſciplinam. Inter illa crimina quæ in Nerone viſa ſunt maximè enormia: hoc illi quoque tribuitur, quòd parricidiis Agrippinæ matris, & Senecæ Cordubenſis præceptoris ſui optimi,ſceleratam animam perdiderit. Quem inciſſis venis ad mortem coëgit: illam in ſinu Baiano navi(qua vehebatur)diſſoluta ſubmerſit.

GIE-

CAP. XXXVI.

GIESI SERVVS ELISEI 2. *Reg.* 5.



Imprudens Gieſi à Naamano munera poſcens,
Et geminam veſtem, & bina talenta tulit.
Auſterè hæc dominus ſervi mendacia plectit:
Turpem etenim lepra punit avaritiam.

X

EST & ſervorum erga dominos peculiaris obligatio: quam ſine piaculo & offenſa Dei hominumque nulli licet infringere. Siquidem quibus eminẽtiam tribuit Deus, quatenus ad eam tuendam neceſſe eſt, ſuum cum illis nomen communicat. In unum ipſum ita cõveniunt Dei, patris, ac Domini tituli: Vt quoties unum aliquem ex iis audimus, majeſtatis illius reverentia animos noſtros feriri oporteat. Quos ergo iſtorum facit participes, eos quaſi fulgoris ſui ſcintilla illuſtrat; ut ſint pro ſuo quiſque loco ſpectabiles. Itaque qui nobis pater eſt, qui Princeps, qui Dominus, is nõnullam cum Deo communionem habet. Quapropter hoc nobis perſuaſum ſit, ita Deo placere, prout quemque novimus eſſe nobis à Patre cœleſti præfectum, ut ipſum reverentia, obedientia, gratitudine, & quibus poſſimus officiis proſequamur. Neque intereſt digni ve an indigni ſint, quibus honos iſte deferatur: cùm qualeſcunque ſint Dei providentia illum locum ſint ſortiti. Communicat enim illis Dominus honoris ſui portionem. Servi, inquit
Eph.6. Apoſtolus, obedite dominis veſtris carnalibus

bus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto: Non ad oculum ſervientes,quaſi hominibus placentes,ſed ut ſervi Chriſti,facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus: ſcientes quoniã unuſquiſque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino ſive ſervus, ſive liber. Et cùm ſervi jubeantur ſeſe ſubmittere dominorum imperio, ac voluntariè inſervire in omnibus, ita quoque præcipit Deus ut domini reciproco affectu famulos foveant, alant, & humaniter tractent: nam Paulus ſtatim poſtea adjungit: Et vos domini,eadem facite illis,remittentes minas: ſcientes quia & illorum & veſter dominus eſt in cœlis: & perſonarum non eſt acceptio apud Deum. Servi, inquit Petrus,ſubditi eſtote in omni tremore dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Omnibus quidem ſervitutis jugum videtur duriſſimum & intolerabile:Iuſtè tamen & legitimè dominanti parendum eſt. Cúmque ſervitus omnis miſera ſit, iniquiſſimo animo ferunt omnes ſervire malis, improbis, libidinoſis, avaris,ac ſceleratis. Quia tamen ita mandatum Domini dominorũ præcipit, ut cuicunque ſubjecti ſimus à Deo,illi volentes pareamus: non poſſumus nos ſubtrahere ab hac obligatione ſine offenſa ſum-

Colo. 3.


1. Pe. 2.

mi Numinis. Qui poteſt fieri liber, libertate fruatur: ſin minus, cum humilitate nos jugo ſubmittamus. Liber is erit coram Deo, qui nulli turpitudini ſerviet. Peſſimus quiſque aſperrimè rectorem patitur. Non decet ſuperbum eſſe hominem ſervum. Avarum & mendacem famulum
2.Re.5. Gieſium lepra punivit Eliſeus Propheta: quòd domini ſui nomine abuſus Naamanum Syri exercitus ducem abeuntem eſt curſu aſſecutus, & ab eo popoſcit duo talenta, & duo veſtimenta, tanquam ea Heliſeus exigeret, pro præmio lepræ ſanatæ: merita punitione ſervi mendacis perfidia caſtigata eſt.

IOAS

CAP. XXXVII.

IOAS A SVIS SERVIS CÆSVS. 2. Par. 25.



Viva Dei effigies Rex eſt: deſiſtite cœpto:
In dominum nulli ſtringere tela licet
Succedet natus Ioam qui vindicet: ille
Reddet pro illatis vulnera vulneribus.

IOAS rex Iuda, filius Ochoſiæ & Sebiæ, quem Ioſabath amita ſervaverat à furore Ataliæ aviç(dum omnem regiam ſtirpem juſſiſſet interſici) Iojadæ Pontificis maximi obtemperans monitis, à principio regni ſui Deum timuit: Templum ab idololatria repurgavit, & ruinas illius reſtauravit. Mortuo verò Iojada, prolapſus eſt in abominationes Ataliæ aviæ; polluitque Hieroſolymas prophanis ſacris. Prophetarum quos Deus miſerat admonitiones contẽpſit & rejecit: ipſumque Zachariam Iojadæ filium, lapidibus obrui juſſit in veſtibulo templi, quòd Regi idololatræ annunciaret iram Dei: & Principibus populi, qui regis iniquitatem promovebant ac fovebant malis conſiliis & ſuaſionibus, ruinam & perditionem inſtantem indicabat. Statim autem poſt Zachariæ mortem, Syri Hieroſolymas expugnarunt, & deprædati ſunt: conſpiratumq; eſt in Ioam regem à duobus ſervis Zabado Semeathi Ammonitæ filio, & Ioſabado Samarithi Moabitæ filio: qui dominum immaniter truncaverunt: licet hæc cædes meritum redderetur impietatis regiæ præmium.

Quia

Quia tamen ſacroſancta Principis eſſe debet perſona: neque cuiquam permiſſum eſt in ejus vitam attentare, neque quicquam aggredi vel machinari, quod illius autoritati vel ſaluti contrarium ſit; juſtum de ſceleratis ſervis, & ſicariis ſumptum eſt ſupplicium ab Amaſia, qui patri in adminiſtratione regni Iudæ hereditario jure ſucceſſit. Idem quoque contigit Bagathæ & Thares Eunuchis; qui cùm in Aſſuerum regem Aſſyriorum conſpiraſſent, à Mardocheo Iudæo proditi & delati apud regem, ſuſpendio puniti ſunt. Si eſt tibi ſervus fidelis, ait Salomon, ſit tibi tanquam anima tua: Quaſi fratrem, ſic eum tracta. Servo malevolo tortura, & compedes. Mitte eum in operationem, ne vacet: multam enim malitiam docuit otioſitas. Servilis conditio, ut non indigna eſt homine Chriſtiano, habet tamen cauſas dejectionis & modeſtiæ inter homines: Servilis enim arrogantia & malitia odium facilè apud omnes adquirit. Cavere ſedulò debent omnes ſervi, nequid dicant agantve quod illorum conditionem odioſam reddant: Rarò condonatur ſervo malo: Vnuſquiſque tamen permaneat in qua conditione vocatus eſt. Servus vocatus es, non ſit tibi curæ: Sed ſi potes fieri liber, magis utere. Qui enim in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini: ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſer-

Eſth. 2.

Sap. 2.

1. Co. 7.

vus eſt Chriſti. Precio empti ſumus. Nolite fieri
1.Co.12 ſervi hominũ. Et alibi ſcribit Apoſtolus, In uno ſpiritu omnes nos in unũ corp⁹ baptizati ſumus, ſive Iudęi, ſive Gentilles, ſive ſervi, ſive liberi. Et omnes in uno ſpiritu potati ſumus. Omnes enim membra ſumus corporis Eccleſiæ, cujus caput Chriſtus eſt. Non eſt acceptio perſonarum corã Deo. Vt plurimùm quæ videntur membra corporis infirmiora, neceſſaria ſunt: & quæ putantur ignobiliora membra eſſe, his honorem abundantiorem circundamus: Nihil enim fit ſine bona Dei providentia: qui genus humanum ita diſtinxit ordinibus, ut cùm differentia videatur & varietas diverſa, ſymmetria tamen & proportio tam concinna eſt in omnibus, ut alter alterius opera ſublevetur & juvetur.

NON

CAP. XXXVIII.

Non occides.

ELA A ZAMBRI OCCISVS. 1. Reg. 16.



Dum cœnam conviva ſui produceret Arſæ,
Vinoſum Zambris conficit enſis Elam:
Is qui vincebat patria impietate Baaſſam,
Dignus erat letho non meliore mori.

Y

NATI ſumus ad humanam ſocietatem & concordiam: quam qui violat volẽs, humanitatis & manſuetudinis limites trãſilit: Deoque & hominibus eſt contrarius. Boni viri munus eſt, ut ne cui noceat, neminem offendat, neminem irritet: Et quia genus hominum unitate quadam Deus devinxit, incolumitatem omnium unicuique jubet eſſe commendatam. Violentia omnis & injuria, ac omnino quævis noxa, qua proximus offendi poteſt, nobis interdicitur. Ac proinde jubemur, ſiquid in opera noſtra ad tuendam proximorum vitam ſubſidii eſt, fideliter impendere. Quæ ad eorum tranquillitatem faciunt procurare, depellendis excubare noxis, ſi quo in diſcrimine ſunt, præbere illis manum auxiliarem. Qui alteri exitium parat, eum ſcire oportet ſibi paratam peſtem ut participet parem. Hoc natura præſcribit, ut homo homini quibuſcunque in rebus & occaſione poteſt benè conſulat: cùm ſic nati videamur, ut inter nos eſſet ſocietas quædam, & concordia, qua vita dulcior & ſecurior tranſigi poſſit, com-

mercia

mercia exerceri,& bonum publicum communibus ſtudiis procurari. Homo igitur naturæ obediens,homini nocere non poteſt.Qui ſecus facit, belluinam feritatem præ ſe fert, & procul abeſt ab ea clementia & manſuetudine quæ hominis eſt propria,quęque longè abeſt à natura ferarum. At cùm omni generi animantum à natura tributum ſit, ut ſe,vitam,corpuſque tueatur,declinetque ea quæ ei nocitura ſunt, omniaque quæ ſunt ad vivendum neceſſaria diſquirat: nihil homini contingit, quod illum citiùs deturbet ab illa ſocietate, & amicitia, quæ genus humanum conſervat integrum, quàm injuria & illata violentia. Quod ne fiat, Lex data eſt: quæ vitiorum emendatrix, commendatrixque virtutum eſt: Ab ea enim vivendi doctrina & regula diſcitur: Vtque incolumes inter ſe homines conſerventur vitamque quietam ducant. Ideo poſita ſunt ſupplicia vitiis, præmia virtutibus. Qui percuſ- *Exo.21*
ſerit hominem volens occidere illum, morte morietur. Sanguinem animarum veſtrarum re- *Gen.9.*
quiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis: de manu viri, & de manu fratris ejus requiram animam hominis. Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. Qui percuſſerit & occiderit ho- *Le.24.*
minem,morte moriatur. Si quis odio habẽs pro-

ximum ſuum, inſidiatus fuerit vitæ ejus, ſurgenſ-
Deut. que percuſſerit illum & mortuus fuerit, fugerit-
19. que in aliquam urbem refugii, mittent ſeniores
civitatis illius, & arripient eum de loco effugii,
tradentq; eum in manus proximi, cujus ſanguis
effuſus eſt, & morietur. Non miſereberis ejus: &
auferes noxium ſanguinem de Iſraël: ut benè ſit
tibi. Quibus teſtimoniis declaratur, quàm odio-
ſum & deteſtabile ſit homicidium coram Deo:
qui hominem conditum ad imaginem ſuam ſal-
vum & incolumen cupit. Contra hoc pręceptum
1 Re. 16 peccavit Zambris, qui Elam regẽ Iſraël in Therſa
occidit, cum cœnaret in domo Arſæ pręfe-
cti Vrbi, licet impius eſſet &
ſceleratus.

AM-

CAP. XXXIX.

AMNONIS CÆDES. 2.*Sam.*13.



Incauti Amnonis læta inter pocula frater
Sternit inhumana membra cruenta nece.
Vindicat inceſtum tam dira cæde ſororis
Abſalo: promovit ſed ſcelus ebrietas.

ARECTA conſcientia, & mandatis Domini tranſverſum unguem non oportet quemquam in omni vita ſua diſcedere. Animum vincere, iracundiam cohibere, adverſarium non modò extollere jacentem, ſed etiam amplificare ejus priſtinam dignitatem, Chriſtianiſſimum eſt, & viri boni officium. Hæc qui facit, mandato Dei ſummi obtemperat, qui nos jubet cedere injuriis improborum, & patientia ſuperare omnis offenſæ amaritudinem. Non ſolùm enim Deus ipſum homicidii ac necis alienæ actum prohibet, ſed animum moderari, malevolentiam, & malos odii affectus refrænare jubet. Cùm ſit cordium ſcrutator, & ſpeculator, juſtitiamque integram poſtulet, non corpus tantùm ſed animum hominis ſeſe ſubmitere mandato divino præcipit, & ab omni macula impollutum ſeſe conſervare: homicidiumque manus non ſolum condemnat, ſed cordis etiam & voluntatis. Animus necem concipit, dum odio inficitur, & ira exardeſcit: manus autem parit. Iraſci fratri tuo non.

non potes, quin ſtatim noxæ flagres libidine. Quantumvis diſſimulet homo extricans ſe vanis ambagibus, ubi vel ira vel odium eſt, illic eſt maleficus affectus. Audiat hoc neceſſe eſt. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argues eum, ne habeas ſuper eum peccatum. Non quæras ultionem: nec memor eris injuriæ civium tuorum. Omnis qui odit fratrem ſuum eſt homicida, & ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem. Et apud Mattheum pronũciatur ore Domini: Audiviſtis quia dictum eſt antiquis, Non occides. Quicunque occiderit, reus erit judicio: Ego autem dico vobis, Quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio. Et qui dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit concilio: & qui dixerit fatue, reus erit gehẽnæ ignis. Multa addit Mattheus & Lucas ad hunc locum pertinentia: quibus docemur voluntatem Domini eſſe, non tantùm ut ab homicidio abſtineamus, ut odia & inimicitias vitemus, ſed ut injurias & oppreſſionem inimicorum noſtrorum patienter toleremus. Sed hic reclamat homo: Veterem ferendo injuriam, invitas novam. Qui ſe ovem facit, à lupo voratur. Specioſæ ſunt hæ mentis depravatæ ſententię: Mihi vindictam, ait Dominus, & ego retribuam. Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam: Nunc deponite hæc omnia, iram, indignationem, maliciam,

Lev.19 *1.Ioã.3* *Mat.5* *Luc.6.* *Deut. 32.* *Heb.10* *Rõ. 12.*

Ecc. 28 blaſphemiam, & turpem ſermonẽ de ore veſtro.
Non leve opprobrium & contumeliam intule-
rat Amnon Davidis filius Thamari, cùm puellã
2. Sã. 13 per vim compreſſit: ſed hanc injuriam Abſalo
Thamaris frater non debuit ulciſci cæde Amno-
nis, quem proditione in convivio (ad quod illum
invitaverat) trucidavit immaniter. Audiendus e-
rat Deus, qui jubet non reſiſtere malo: Et Chri-
Mat. 5 ſtus expreſſè mãdat: Si quis percuſſerit te in dex-
tram maxillam præbe illi & alteram. Diligite ini-
micos veſtros, & benefacite iis qui oderunt vos.
Orate pro perſequentibus vos & calumniãtibus
vos, ut ſitis filii patris veſtris qui in cœlis eſt: qui
ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, &
pluit ſuper juſtos & injuſtos: dum vindictã Deo
permittimus, accumulamus carbones ardentes in caput ejus qui nos offendit.

SI-

CAP. XL.

SIMON MACHABÆVS. 1. Mach. 16.



Quid temere ingrederis muniti mœnia Dochi?
Te ſimul & natos mors inopina premet.
Si potes evita tibi quæ Ptolomæus adornat
Prandia: in inſidiis eſt inimica manus.

Z

NVLLÆ ſunt pernicioſiores, nullæ occultiores inſidiæ, quàm quæ latent in ſimulatione officii, aut aliquo neceſſitatis no mine. Qui palam eſt adverſarius, hunc facilè cavendo vitare poſſis. Hoc verò occultum inteſtinumque malum, quod proditione committitur, non modò periculoſum exiſtit, ſed etiam opprimit, antequàm proſpicere atq; explorare potueris. Tacitæ magis & occultæ inimicitiæ timēdæ ſunt, quàm indictæ & apertæ. Totius juſtitiæ nulla eſt capitalior peſtis, quàm eorum qui tum, dum maximè fallunt, id agunt, ut viri boni videantur. Quare in omni vita ſic nos affectos eſſe oportet, ut proditiones, hypocriſim, ac dolos vitemus. Aſtutiæ tollendæ ſunt, eaque malitia, quæ vult quidem videri eſſe prudentiam; ſed abeſt ab ea, diſtatque plurimùm. Nec ulla pernicies vitæ major inveniri poteſt, quàm cùm in malicia, ineſt ſimulatio. Injurias propulſare & præcavere, multi ad fortitudinem animi referunt: tolerare acceptas puſillanimitatis eſſe ducunt. Virum bonum hunc eſſe putant, qui nemini nocet, niſi injuria laceſſitus ſit. At Chriſti Servatoris noſtri manda-

mandatum, ut ab omni vindicta non ſolùm abſtineamus, ſed & inimicos noſtros amemus præcipit. Si diligitis eos qui vos diligunt, ait Dominus, quam mercedem habebitis? nonne hoc & publicani faciunt? & ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, quid ampliùs facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt: Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Cùm autẽ primi motus nõ ſint in noſtra poteſtate; difficilimũque ſit homini ferre injuriã, ac violentiam aliorũ pati; hoc tamen mandatum firmiter hærere debet noſtris mentibus, vindictam Domino relinquendam, & ipſe retribuet: ferendoque patiẽter illatam injuriam, nos accumulare carbones ardẽtes in caput illius qui intulit. Iraſcimini (inquit Paulus) & nolite peccare: Sol non occidat ſuper iracundiã veſtram: Nolite locum dare diabolo. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis, cũ omni malicia. Eſtote invicem benigni, miſericordes, condonãtes invicem; ſicut & Deus in Chriſto cõdonavit vobis. Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtꝰ dilexit nos; & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationẽ & hoſtiã Deo in odorẽ ſuavitatis. Quare appetitꝰ omnes inordinati, quibꝰ animi noſtri percellũtur, cõtrahẽdi ſedandiq; ſunt: excitandaq; eſt animadverſio & diligẽtia, nequid iracũdè, nequid crudeliter, vel ꝓditoriè & inhumaniter faciamus

Mat. 5

Pro. 24

Eph. 4.

Eph. 5.

aut dicamus. Sed ſciamus nos ad ſocietatem natos: neque admittamus ut injuria laceſſiti, vel odio, vel malevolentia æſtuemus: multo minùs ad ultionem dilabamur. Moderari, cùm ſis iratus, & tenere in tua poteſtate omnes motus animi, generoſum eſt ac laudabile. In fide ſitis unanimes, ait Petrus, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, humiles: Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: ſed è contrario benedicentes, &c. Deteſtãda fuit fraus & proditio Ptolomei, qui incautum & nihil tale cogitantem Simonem Machabæum trucidavit in convivio cum duobus ejus filiis Mathathia & Iuda: quos filius Abobi invitarat in arcẽ Dochi, & opiparè tractatos, ac ſemiebrios expoſuit laniénæ proditorum, qui in eos conſpirarant, ut Antiocho ſubjicerent Iudæam, & urbem Hieroſolymorum.

1. Pe. 3.

1. Machа. 16.

DOEG

CAP. XLI.

DOEG CALVMNIATOR. 1. *Sam.* 22.



Davidem hoſpitio excipit Achimelechus: & illi
Tradidit à ſacro tela revulſa tolo.
Indicat hoc Sauli ſcelerata mente Doëgus:
Qui Nobem immani perdidit excidio.

OMNIUM rerum nocentiſſima res eſt calumnia: Aſſentatores, calumniatores, infidi conſiliarii, perverſi educatores, fontes ſunt fere malorum omnium: quibus ſurſum ac deorſum turbatur vita mortalium. Nulla tamen ætas, nulla natio, nulla civitas tam benè ordinata fuit unquam, in qua peſtes iſtæ publicæ non inventę ſint. Quæ diaboli patris naturam ſecutæ, concordiam publicam & ſocietatem diſſolvunt, bonorumque innocentiam proſcindũt. Mala res eſt petpetuò calumniator: & in eo Leges incumbere debent, ut à tanta pernicie quantum fieri poteſt civitatem repurgent. Demoſthenes ex oratione prima contra Ariſtog. Neminem unquam veſtrum fortaſſe vipera momordit, neque phalãgium: & abſit ut mordeat unquam, Sed tamen omnia ejuſmodi animalia ubi conſpexeritis, mox interficitis. Itidem & cùm delatorem, & calumniatorem, & crudelem, & hominem viderítis viperinam habere naturam, ne expectate donec aliquem veſtrum mordeat, ſed cùm primùm occurret, puniatur. Virtus non minima eſt
Ecc. 28 linguam compeſcere. Mors enim & vita in manibus

nibus linguę eſt. Maledicentia ſtultorum eſt theſaurus, quem in lingua recunditum tenent. Lingua ſi effrænis eſt & prodiga, interdum maximarum cladium eſt organum. Detrahentem & maledicum vir bonus averſatur. Homo iracundus incendit litem: & vir peccator conturbat amicos: & in medio pacem habentium immittit inimicitias. Ante ignem camini vapor & fumus exaltatur, ſic & ante ſanguinẽ maledicta, & cõtumeliæ, & ruina. Denotatio peſſima ſuper belinguẽ: Suſurratori autem odiũ, & inimicitię, & cõtumelia. Hominem qui calũniatur animę ſanguinẽ, ſi uſq; ad lacum fugerit, nemo ſuſtinet. Lingua fallax nõ amat veritatem: & os lubricum operatur ruinas. Calumniator eſt homicida. Improperium & cõtumeliam malus hereditabit: & omnis peccator invidus & bilinguis. Sex ſunt, quæ odit Dominus: & ſeptimum deteſtatur anima ejus; Oculos ſublimes, linguam mendacem, pedes veloces ad currendum in malum, teſtem fallacem proferentem mendacia, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias. Quibus teſtimoniis facilè apparet Deo, qui charitatis fons eſt, odioſam eſſe maledicentiã; ex qua cædes, rixę, & perturbatio ſocietatis humanę proficiſcũtur, ut cõtigiſſe legimus Achimelecho ſacerdoti Nobes: qui cù accuſatus eſſet à Doëgo Idumęo calũniatore apud Saulem, quòd Davidẽ fugientẽ excepiſſet, illiq; Goliathi

Eccl. 5. Pro. 28 Pro. 27 1. Reg. 22.

dediſſet gladium, quem antea David in templo appenderat. Saul irritatus, juſſit ut bonus Pontifex cum tota familia trucidaretur: & una die tota civitas Nobes ad internecionem cæſa eſt, & in prædam relicta. Hoc præceptum officii diligenter retinendum eſt. Ne unquam innocentem judicio capitis accerſas: Id enim ſine ſcelere fieri nullo modo poteſt. Deus qui tam auſterè cædes & homicidia vindicat: dixit: Non accipietis precium ab eo, qui reus eſt ſanguinis: ſtatim & ipſe
Levit. 35. morietur: Ne polluatis terram habitationis veſtræ, quæ inſontium cruore maculatur. Nec aliter expiari poteſt, niſi per ejus ſanguinem, qui alterius ſanguinem fuderit. Condemnat & eos qui cædes promovent calumniis & maledicentia. Non erit calumniator nec ſuſurro in medio po-
Levit. 19. puli. Non ſtabis contra ſanguinem proximi tui: Ego Dominus. Eadem enim culpa premitur qui mali autor &, & qui malum patrat, & exequitur.

NON

CAP.XLII.

Non mœchaberis.

LOTH INCESTVS. Gen.19.



Inceſtu ebrietas deceptum inſana parentem
Polluit: hac pietas, victaque iura labant.
Mil media poteras committere, Lothe, Sodoma
Turpius: exemplo debuit eſſe tibi.

NVLLA capitalior peſtis hominibus à natura data eſt, quàm corporis voluptas. Fieri nõ poteſt,ut animus libidini & crapulæ deditus poſſit aliquid boni meditari, multo minùs perficere.Qui voluptatibus ducũtur,& ſe vitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis dediderunt,ad Reipublicæ munia non eſſent admittendi. Nam illis omnia ſenſu non ratione ſunt judicanda: eaque dicenda optima, quæ ſunt ſuaviſſima. Voluptates enim blandiſſimæ dominæ, ſepe majores partes animæ à virtute detorquent.Pudicitiam & puritatem amat Deus: & faceſſere à nobis omnem immunditiam jubet: requiritque hoc præcepto, nequa ſpurcitia, aut libidinoſa intemperiè inquinemur.Caſtè igitur,& continenter omnes noſtræ vitæ partes moderandæ ſunt. Cavendumq; ſedulò ne ſcortationis aut pollutionis alicujus deſiderio æſtuemus, quod
Pro. 6. nos in interitũ pręcipitet. Qui adulter eſt, ꝓpter cordis inopiã, perdet animã ſuam. Turpitudinẽ & ignominiam congregat ſibi;&opprobrium illius non delebitur.Maximè ſcortatio virginum à
Deut. 22. Deo ſeverè caſtigata eſt: Si virgo viro deſponſata non

ta non ſit inventa virgo, ejicient eam extra fores domus patris ſui, & lapidibus obruent eam viri civitatis illius, & morietur: quia fecit nefas in Iſraël: ut fornicaretur in domo patris ſui:& auferes malum de medio tui. Mirũ videri debet Lothũ ſingulari beneficio Dei ab averſione Sodomorum fuiſſe ſervatum:ſtatimque prolapſum in inceſtum cum filiabus, à quibus ad id nefas provocatus eſt,& inductus ebrietate. Nolite errare, inquit Paulus: Neque fornicarii, neq; idolis ſerviẽtes,neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures,neque avari, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. Et alibi: Domino non benè placitũ eſt in pluribus,nam proſtrati ſunt in deſerto.Hęc autem in figura facta ſunt noſtri, ut non fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt una die viginti tria millia.Corpora veſtra membra ſunt Chriſti. Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? abſit. An neſcitis quoniam qui adhęret meretrici,unum corpus efficitur? erunt enim duo in carne una. Fugite fornicationem: Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: Qui autẽ fornicatur,in corpꝰ ſuũ peccat. Fovea profũda eſt meretrix:puteus anguſtus aliena.Inſidiatur in via quaſi latro:& quos incautos invenerit, interficit. Multa notãtur ejuſmodi in ſcripturis q̀bus aptè

Gen.19 · 1.Cor.6 · 1.Co.10 · Nũ.21. · 1.Cor.6 · Pro.25

Dominus minatur exitium,omnibus pollutis,libidinoſis, & ſcortatoribus: Sed ad Legiſl atorem convertamus oculos, qui omnem abominatur contaminationem, quacunque in parte vel animæ vel corporis appareat. Cumque pudicitiam commendet,& exigat in nobis, quicquid illi adverſum eſt damnat.Proinde qui ad obedientiam aſpirat, caveat ne ejus animus prava cupidine intus ardeat, nec oculi in corruptos a ffectus laſciviant, nec corpus ad lenocinium excolatur, nec

Phil. 3. lingua ſpurcis ſermonibus mentem ad ſimiles cogitationes illiciat, nec gula ſua intemperiè inflammet.Sunt enim omnia ejuſmodi vitia,veluti maculæ quædam, quibus caſtitatis puritas conſpurcatur. Avertendæ à nobis ſunt diligenter omnes peccandi occaſiones.Ne ita ambulemus,ut finis itineris noſtri ſit interitus: & quibus venter Deus ſit, & gloria in confuſione noſtra,ſi terrena ſapiamus: quæ qui admittit,vitam æternam non poſſidebit,nec Deo gratus & acceptus erit.

HERO-

CAP. XLIII.

HERODIAS SALTATRIX. Luc.6. Mar.6.



Mulcet Idumæum ſaltatrix improba regem,
Ad numeros criſpum docta movere latus.
Obtinet à Patruo captivi trunca Prophetæ
Ora, Deo inviſæ præmia luxuriæ.

Gen. 2. CVM homo ſit à Deo optimo maximo conditus hac lege, ut ſolitariam vitã non degeret, adjunctum eſt illi ſubſidiũ, nẽpe uxor, quæ matrimonio illi conjuncta eſt à Deo conditore: & hoc conjugium ſua benedictione ſanctificavit: maledixitque omnem aliam ſocietatem carnalem, quæ extra connubium invenitur. Et hoc remedium eſſe voluit illius neceſſitatis, qua poſt peccatum homo urgetur, ne in effrænes rueret libidines: Et cùm non ſit datum omnibus continentiæ donum; Qui nõ poſſunt abſtinere, ad matrimonii ſubſidium ſe conferant neceſſe eſt; niſi cum Deo pugnare velint, & ſibi exitium procurare. Ita, ait Dominus, Si
Deut. 22. dormiverit vir cum uxore alterius, uterque morietur: id eſt adulter & adultera: & auferes malum de Iſraël: Non erit meretrix de filiabus Iſraël; neque ſcortator de filiis Iſraël. Et Paulus: Hæc
Deut. 23. 1. Th. 4 eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra ut abſtineatis à fornicatione: & ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderii, ſicut gentes quæ ignorant Deum. Non enim vocavit nos Deus in im-
1. Cor. 3 mun-

mundiciam, ſed in ſanctificationem. An neſcitis quia templum Dei eſtis? Et ſpiritus Domini habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet eum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt. Fornicatio, & omnis immunditia, & avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos; aut turpitudo, aut ſtuli loquiũ, aut ſcurrilitas quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio. Hæc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus quod eſt idolorum ſervitus, nõ habet hereditatẽ in regno Chriſti & Dei. Continentia ſingulare donum Dei eſt: quod paucis cõfertur: ſpeciale donum eſt ſpiritus. Ideo Paulus ait, Propter fornicationem unuſquiſque ſuã uxorem habeat, & unaquaque ſuum habeat virum. Et cùm cœlitus hæc gratia continentiæ tribuatur, cavendum eſt ne in laqueos Satanæ incidamus. Vnuſquiſque propriũ donũ habet ex Deo, alius quidẽ ſic, alius verò ſic. Quòd ſi non ſe continere poſſunt, nubant. Meliùs eſt enim nubere quàm uri. Intẽperatæ flãmę adurunt eos, quibus non eſt datũ in cælibatu cõtinenter vivere: & ex his libidinibus, & perverſis cogitationibus multa mala emergũt. Vitãda ſunt objecta, quæ nos à cõtinentia divertũt: Ne reſpicias mulierẽ multivolã, ne fortè incidas in laqueos illius. Cum ſaltatrice ne ſis aſſiduus, nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia

Ephe.5 *1.Cor.7* *Eccl.9.*


illius.Ne des fornicariis animam tuam in ullo:ne perdas te & hereditatem tuā. Auerte faciem tuā à muliere compta: & ne circunſpicias ſpeciem alienam:Propter ſpeciem mulieris multi perierūt: & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Cum aliena muliere ne ſedeas omnino; nec accumbas cum ea ſuper cubitum: & non alterceris cum ea in vino. ne forte declinet cor tuum in illam: & ſanguine tuo labaris in perditionem.Herodes Philippi fratris uxorem rapuit, ſibique adjunxit; qui cùm reprehēderetur à Ioanne tanquā inceſtuoſus, mulier libidinoſa ſemper eſt illi inſidiata:effecitque ut quo die Herodes natalitium diem celebraret, Herodiadis filia in cœnaculum ornata prorupit,&ſaltationibus impudicis ita regem allexit, ut illi poſcenti caput Ioannis Baptiſtæ dederit. Voluptas eſca malorum eſt:qua homines capiuntur,ut hamo piſces:cujus blandiciis corrumpuntur quæ natura bona ſunt:Vbi regnat luxus,ibi conſiſtere non poteſt judicium, moderatio,virtus nec conſilium.

Luc.6. Mar. 6.

DA-

CAP. XLIIII.

DAVID ET BETHSABÆA. 2.Reg.



Nuda ut conſpexit Iudææ pectora Nymphæ,
Ieſſæus rapido protinus igne furit.
Nec ſatis eſt fraudare toros abſente marito.
Cæca venus cædem iungit adulterio.

OMNIUM perturbationum fons eſt intemperantia: quæ eſt à tota mente, etiam à recta ratione defectio. Sic averſa à præſcriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi vel regi, vel contineri queāt. Maximas virtutes jacere neceſſe eſt, voluptate dominante. Nā in voluptatis regno nulla virtus poteſt conſiſtere. Quò major eſt voluptas, eò magis mentem à ſua ſede, & ſtatu dimovet. David (quem alioqui Deus innumeris donaverat virtutibus) dum ſuis locum dedit cupiditatibus, in maxima peccata prolapſus eſt. Vidit è ſolario lavantem ſe Bethſabæam Vriæ uxorem: hanc concupivit, & cum ea adulteratus eſt. Neque id ſuffecit: Malum malo ut adderetur; cùm mulier eſſet gravida, neq; Vrię poſſet perſuadere David ut cū uxore dormiret, & hac ratione tegeretur adulterio conceptus infans, miſerum hominem morti obtruſit: Qui Ioabo militiæ Præfecto in obſidione Rabæ Ammonitarum urbis jubente, in hoſtes cum aliquot centuriis incurrens cęſus eſt, & qui cum eo erant. At nobis perſuaſum eſſe debet, Si Deum homineſque celare poſſimus, nihil tamen injuſtè, nihil

hil libidinoſè, nihil incontinenter eſſe faciendū. Honeſta bonis non occulta quæruntur. Chariſſimi, ait Petrus, obſecro abſtinere vos à carnalibus deſideriis: quæ militant adverſus animam. Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram: fornicationem immundiciam, libidinem, concupiſcentiam malam, avariciam quæ eſt idololatria: propter quæ veniet ira Dei ſuper filios incredulitatis. Non abſtrahatur mens tua in vias meretricis, neque decipiaris ſemitis ejus. Viæ inferi domus ejus penetrantes in interiora mortis. Qui adplicabitur ei, deſcendet ad inferos. Omnis homo qui tranſgreditur lectulum ſuum, contemnẽs in animam ſuam, & dicens, Quis me videt? Hic in plateis civitatis vindicabitur: & ubi non ſperavit, apprehendetur, & erit dedecus omnibus, eò quòd non intellexit timorem Domini. Sic & mulier omnis relinquens virum ſuum, & ſtatuens hereditatem ex alieno matrimonio. Qui ſe jungit fornicariis, erit nequam. Ne intenderis fallaciæ mulieris: favus enim ſtillans labia meretricis. Noviſſima illius amara tanquam abſynthium. Et lingua ejus acuta, tanquam gladius biceps. Pedes ejus deſcẽdunt in mortem; & ad inferos greſſus ejus penetrant. Per ſemitam vitæ non ambulat: longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus dom⁹ ejus. Animi morbi ſunt cupiditates immẽ-

Pet. 2. *Col. 3.* *Pro. 6.* *Pro. 7.* *Ecc. 19.* *Pro. 5.*

ſæ,libidinoſarum etiam voluptatum: quorũ medicinam nobis propoſuit Deus in ſolo conjugio, ſi ad domandam libidinem vires ægro non ſufficiant. Neque hic ſibi blandiantur qui mulieres non attingunt, ac ſi impudicitiæ argui non poſſint:cùm interim animus intus æſtuet. Pudicitiã definit Paulus: cùm ait eſſe conjunctam cum caſtitate corporis animi puritatẽ. Ideo non de pollutione ſcortationis tantùm loquitur, ſed ſatiùs eſſe uxorẽ ducere quàm uri. Omnia quæ ad provocandum hoc incontinentiæ monſtrum faciũt, peccati nomine comprehendũtur: Sive viſus impudicus, ſive habitus laſcivior, geſticulatio obſcœna, ſive ſermones impuri, qui pudicitiæ inſidiari,& eam ſubvertere poſſunt.Dominus ita loquitur: Dictum eſt antiquis: non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem,ad concupiſcendam eam,jam mœchatus eſt in corde ſuo.

Mat.5

HO-

CAP. XLV.

HOLOFERNES ET IVDITH. Iudit.13.



Cingebant pavidam Babylonica caſtra Bethulen,
Quæ fere blaſphemi præda Holofernis erat:
Enſe Ducem obtruncat ſtertentem animoſa virago;
Et ſolvit cives obſidione ſuos.

MENTE uti rectè non poſſunt multo cibo & potu repleti. Tẽperãtia libibinum eſt inimica. Sine Cerere & Baccho friget Venus. Multi in ebrietatem lapſi, nefanda patraverunt. Ex ea vitæ pernicies maxima ſemper nata eſt. Cúmque nihil ſervilius ſit, nihil abjectius quàm gulæ ventriſque cupiditatibus obnoxium vivere; Nullum tamen vitium eſt, quod faciliùs gliſcat, & ſeſe inſinuet in animos hominum, quàm ingurgitatio & crapula, quæ majorem partem hominum ſuo ſervitio ſubjugavit, & turpi voluptati ſubjecit. Cùm tamen ex ea, tanquam è ſcaturigine peſtifera, prodit quicquid eſt in hominum vita ſcelerum, & calamitatum. Inſaniam aufert medicus, Voluptas, cùm æquè eripiat mentem homini, vix ſanabile malum eſt. Vitium gutturis & ventris non modò minuit ætatem hominibus, ſed etiam mentem percellit, judicium hebetat, & rationem obtundit. Quare qui voluptatibus his ducuntur, & ſe crapulæ illecebris, cupiditatumque lenociniis dediderunt, indigni ſunt qui ad hono-

honores promoveantur, aut ad Reipublicæ gubernacula admittantur. Væ tibi terra, cujus rex puer eſt: & cujus Principes manè comedunt. Noli eſſe in conviviis potatorum, nec in commeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt. Quia vacantes potibus, & dãtes ſymbola conſumẽtur: & veſtitur pannis dormitatio. Luxurioſa res eſt vinum, & tumultuoſa ebrietas: Quicunque his delectatur, non erit ſapiens: At cùm ebrietas omnis conditionis homines turpiter polluat, & à ratione divertat, indigniſſimum eſt Principes, Magiſtratus, & qui populo præſunt ea inquinari. Tum quia judicium ac ratio in illis hebetatur per ingurgitationes, tum quòd exemplo ſuo reliquos à recta vivendi via diſturbant & divertunt. Non enim tantùm mali eſt peccare Principes, quamvis malum per ſe magnum judicari debet, quantùm illud quod permulti etiam imitatores Principum exiſtunt: exemplo quodcunque malo committitur: & Regis ad exemplum totus cõponitur orbis. Videmus enim, quòd quæcunque mutatio morum in Principibus extiterit, eandem ſtatim populum ſequi. Nobilium enim vita victuque mutato, mores civitatis mutari ſolent. Nec ſolùm vitia concipiunt Principes, ſed ea infundunt in civitatem. Neque obſunt quòd ſolùm ipſi corrumpantur, ſed

Eſa. 10
Pro. 23.
Pro. 20

etiam quòd corrumpãt,pluſque exemplo, quàm peccato nocent: contingitque ſæpiùs ut his vitiis in graviſſima præcipitentur diſcrimina: maximè poſt ebrietatem ac turpes helluationes,dum mẽte capti, neque periculis imminentibus proſpicere,neque ſuæ ſaluti cõſulere queunt. Holofernem exercitus Aſſyrii Principem, vino ſopitum

Iudi. 13. truncavit muliercula ad Bethuliæ mœnia: Quæ urbe egreſſa ut erat forma elegãte, & ad venuſtatem culta.In caſtra hoſtiũ cùm veniſſet, ſua pulchritudine pellexit Babylonium Principem: poſtea multo potu diſtentum proprio gladio jugulavit. Hũc fructum retulit ſua ingurgitatione dignum. Vigilantem & ſobrium decet eſſe eum qui res magnas,& ad reipublicę conſervationem neceſſarias gerit. In imperatore enim requiritur ſobrietas,vigilantia, labor in negotiis, fortitudo in periculis,induſtria in agendo.Difficilimè continebit exercitum ſuum, qui ſe ipſum continere non poteſt.

NA-

CAP.XLVI.

NABAL HELLVO. 1. *Sam.* 15.



Vellere nudatis ovibus convivia Nabal
Inſtituit plenis continuanda cadis.
Præ foribus Libitina ſedet, quæ pocula miſcet,
Æternas menſis injiciens tenebras.

EBRIETAS peſtis animi & corporis, languorum & dolorũ fomes, furoris comes, & inſaniæ amica: hominem corrumpit &debilitat,judicium illi adimet,ac mentis aciem obtundit,nec patitur rationem officio ſuo fungi. Difficilimum eſt judicare quæ factu neceſſaria, quæ honeſta,quę utilia,dum animus luxu ac crapula diffluit, commeſſationibus & potationibus immerſus. Nabalem ex Chalebi familia ortum hominẽ divitem (utpote qui poſſideret tria millia ovium, & mille capras) ſed ruſticis moribus, rudem,& incultum,gulę ventrique deditum rogavit David Saulis præſentiam fugiens, ut illi aliquid largiretur, quo milites, qui illum ſequebantur,poſſent ſuſtentari in deſerto Ziph,ubi rerum omnium penuria laborabant. Eoque tempore Nabal gregem tundens, ut moris erat apud antiquos, ſolenne convivium inſtituerat:Ille vero Davidis nuncios annonam petentes inhumaniter repulit,denegavitque quod petebant: Cujus ingratitudinem ulturus David, atroci aliquo exemplo, niſi huic malo Nabalis uxor Abigail marito prudentior & mãſuetior providiſſet:Hęc enim

enim marito ebrio ad egenos munera detulit, & cibos quos famelicorũ uſui neceſſarios animadvertit, iramque Davidis hac liberalitate placavit. Nihilo tamen minus ebrioſum hominem Nabalem Deus morte percuſſit, illius ingratitudinem puniens, illumque vita ac divitiis ſimul privavit. Crapulæ vitium deteſtandum eſt: Qui vino eſt deditus, illi omnia ſenſu non ratione ſunt judicãda, eaque dicenda optima, quæ gulæ ventrique ſunt accommodata. Fieri nullo modo poteſt, ut qui locum tribuit ebrietati, poſſit pietatẽ ſequi, vel diſcernere quæ ad ſocietatem politicam conducunt. Nihil altum, nihil magnificum aut laudabile ſuſcipere poſſunt, qui ſuas omnes cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, tam contemptam, quę ſæpius cauſas pœnitendi quàm recordandi poſt ſe relinquit. Plures occidit gula quàm gladius. Ex hac peſte corrumpuntur vires corporis, hebetãtur ſenſus omnes, & inutilis homo redditur ad omnes honeſtas actiones tam animi quàm corporis. Hinc podagræ, paralyſes, hinc morbi infiniti, quibus humana vita miſerè vexatur, ac ſenſim conficitur. Vt Venus enervat vires, ſic copia vini: & tentat greſſus, debilitatque pedes. Ne intuearis vinum quando flaveſcit, cùm *Pro. 23*
ſplenduerit in vitro color ejus, ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber: & ſicut baſiliſcus venena diffundet. Qui diligit epulas, e- *Pro. 21*

rit in egeſtate: qui amat vinum & pinguia, nō di-
Pro. 23 tabitur. Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveę? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorū? Nōne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Diligentes vinum noli provocare: Multos enim exterminavit vinum. Æqua
Eccl. 31 vita hominibus vinum in ſobrietate: Si bibis illud moderatè eris ſobrius. Quæ eſt vita quæ non minuitur vino? Quid defraudat vitam? mors. Vinum in jucunditatem creatum eſt non in ebrietatem ab initio. Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ebrietatis animoſitas, imprudentis offenſio, minorans vir-
Eccl. 19 tutem, & faciens vulnera. Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos.

DI-

CAP. XLVII.

DIVES EPVLO. *Luc.16.*



Dum ſatur ad menſas Epulo diſcumbit, egenus
Diſtorquet triſti Lazarus ora fame.
Mors utrumque rapit: Cocyti mergitur ille
Flammis: excipit hunc ſed diuturna quies.

CVM per ſe & propter ſe fugienda ſit ebrietas & crapula, quòd turpitudinem ſecum trahat & dedecus: nec digni videantur ullo honore qui tam fœdo ſtudio dediti ſunt: ab hoc malo deterrere hominem cordatum & circunſpectum deberent incommoda quæ inde manant: Corpus inde redditur imbecillum, molle, & ægrum: animi facultates facit degeneres: mentem hebetat, & ejus aciem obtundit: brutique naturam magis, quàm hominis videtur ebrioſus induere. Habet & hoc vitium cauſas urgentiſſimas, cur tanquam venenum debeat vitari. Libidinem accendit in corde hominis: omnem humanitatem & clementiam excutit, nihilque in animo relinquit, præter ſtupiditatem, belluinamque feritatem, & immanitatem. Magnas virtutes jacere neceſſe eſt, ubi ingluvies & ingurgitatio dominatur. Animo hebetato, libidinibuſque & ebrietate vitiato, nihil inter eſt inter hominem & pecudem: ſed ne inter hominem & truncum. Nam animus ebrietate perturbatus & incitatus, nec ſe cohibere poteſt; nec diſcernit quo loco vult conſiſtere. Propterea tantopere

topere prohibetur in ſcriptura. Abjiciamus, inquit Apoſtolus, opera tenebrarum,& induamur arma lucis. Sicut in die honeſtè ambulemus: non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: Sed induimini Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis. Et alibi: Multi ambulant inimici crucis Chriſti, quorum finis interitus,quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt: Noſtra autem converſatio in cœlis eſt,&c. Si is qui frater nominatur inter vos eſt fornicator,aut avarus,aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax; cum ejuſmodi ne ſumite cibum. Manifeſta opera carnis, fornicatio, immundicia, impudicitia,luxuria, idolorum ſervitus,homicidia,ebrietates,commeſſationes. Omnis diſſolutio vitæ Deo eſt adverſaria, & hominẽ in perditionem præcipitat;ſive ea in victu,ſive in veſtitu conſideretur. Vtrumque habet in ſe lenocinium efficax, quo plurimos pellicit ad malum. Mulierem potiſſimum curioſitas in cultu nimia, & quæ huic ſexui peculiaris eſt ſuperbia, maximè dedecet:hinc tam crebræ apud Apoſtolos reprehenſiones, quibus refrænatur earum cupiditas&luxus:Mulieres ſint in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate curantes ſe: non in

Rō. 13. *Phil. 3.* *Cori. 5.* *Gal. 5.* *Tim. 2.*

tortis crinibus,aut auro, aut margaritis, aut veſte precioſa; ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Salvabitur mulier per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide,& dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate. Vinum, choreæ, ſaltationes, cultuſque corporis

Mar. 6. immodicus cauſa fuere mortis Ioannis Baptiſtę: puellę decor,laſcivus corporis motꝰ, & corporis venuſtas Herodem movit vino jam priùs calefactũ:celebrabat enim natalicii ſui convivium: &

*Luc.*16 ex hac mentis alienatione factum eſt juramentũ, quo promiſit puellæ ſe donaturum quæ petitura eſſet,uſque aſt dimidiam ſui regni partem: Dives ille epulo apud Lucam indulget genio,commeſſationibus vacat:crapula gravatus cõtemnit pauperes: eorum neceſſitati non ſnbvenit. Lazarum famelicum à foribus ſuæ domus extrudi jubet. Hunc propterea mortuum aſſerit ſcriptura ſinu Abrahę exceptum,divitemque flammę inferni condemnatum.

EBRI-

CAP. XLVIII.

EBRIETAS ET LVXVS. *Eſa.*1.



Væ tibi, qui inſano celebras convivia luxu:
Væ tibi qui potu nocte dieque vacas.
Ira Dei exarſit: Morbis, belloque, fameque
Æterno in ſontes ſæviet excidio.

HVMANÆ vitę peſtis obſcœna, turpis, immanis, ac dedecore plena luxus & ebrietas: quæ per totam ſcripturam ſacram condemnatur, & auſterè reprehẽditur. Interituſque & condemnatio æterna proponitur iis omnibus qui tam fœdis ſeſe contaminaverint vitiis. Eſaias, qui propenſam Dei indignationem in Iſraëlitarum peccata denunciat, acerbiſſimè invehitur in ebrietatem ac luxum: nempe ex quibus
Eſa.5. omne malorum genus ſuam trahit originem. Vę vobis, qui conſurgitis manè ad ebrietatem faciẽdam; & ad potandum uſque ad veſperum, ut vino æſtuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis veſtris: & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis. Propterea captivus ductus eſt populus meus, &c. Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum, abſque ullo termino, & deſcenderunt fortes ejus, & populus ejus, & ſublimes glorioſique ejus ad eum: & poſtea ſubjicit idem Propheta. Væ coronæ ſuperbiæ ebriis
Eſa.28 Ephraim & flori decidenti gloriæ ejus: qui erant in

in vertice vallis pinguiſſimæ errantes à vino. Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim: Hi præ vino neſcierunt:præ ebrietate erraverunt: Sacerdotes & Propheta neſcierũt prę ebrietate abſorpti ſunt à vino: erraverunt in ebrietate:neſciverunt videntem: ignorarunt judicium. Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu, & ſordibus,ita ut non eſſet ultra locus. Et Haba- *Hab.2*
cuc:Væ qui potum dat amico ſuo, mittẽs fel ſuũ, & inebrians ut aſpiciat nuditatem ejus. Repletus eſt ignominia prę gloria. Bibe tu quoque & conſopire: Circundabit te calix dexteræ Domini, &
vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.Vę tibi *Ecc.10.*
terra,cujus principes manè comedunt. Beata terra,cujus rex nobilis eſt;& cujus principes veſcuntur in tempore ſuo,ad reficiendum,non ad luxu-
riam. Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis: *Luc.6.*
væ vobis,qui ridetis nunc,quia lugebitis & flebi-
tis.Noli avidus eſſe in omni epulatione:& te non *Ecc.37*
effundas ſuper omnẽ eſcam. In multis enim eſcis erit infirmitas:& aviditas appropĩquabit ad choleram.Propter crapulam multi obierũt: Qui autem abſtinens eſt adjiciet ad vitam. Vt luxum in ebrietate &crapula reprehendit ſcriptura:nõ minor indignatio Dei adverſus ſuperfluum corporis ornatum eſſe demonſtratur. Ex quo nihil poteſt procedere quàm ſtimuli libidinis & protervitatis.Contemptoribus frugalitatis & modeſtię

ſemper nunciarunt judiciũ Apoſtoli ac Prophe-
Eſa.3. tæ. Eſaias in ſuperbiam & luxum Iſraëlitarũ mulierum invehens ait, Pro eo quòd elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant. Decalvabit Dominus verticem filiarũ Sion; & Dominus crinem earum nudabit. In die illo auferet Dominus ornamenta calceamentorum & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gẽmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecilla, & ſindones: & vittas, & theriſtra: & erit pro ſuavi odore fœtor: pro zona funiculus: pro criſpanti crine calvitiũ: pro faſcia pectorali cilicinum. Et quæ ſequuntur.
Pet. 3. Et Petrus: Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram. Quarum ſit nõ extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus. Væ vobis qui dormitis in lectulis eburneis: & laſcivitis in ſtratis veſtris, qui canitis ad vocem pſalterii bibenti ĩn phialis optimo unguento delibuti.

BAC-

CAP. XLIX.

BACCHVS.



Suave Dei munus vinum eſt: hominumque ſaluti
Conducit: præſit dummodò ſobrietas.
Immodico ſed ſi tibi proluat ora Lyæo,
Pro dulci potas tetra aconita mero.

VINUM creatura Dei eſt optima; & ad alimoniam corporis, cōſervationemque valetudinis maximè accommodata. Cujus tamen abuſus graviſſima ſecum trahit damna:ſicut & aliarum rerum,quas Dei benignitas ad uſus hujus vitę neceſſarios cōdidit, earum tamen abuſus ac ſuperfluitas illas reddit noxias. Ex nimio vino labefactatur humanum corpus, accenduntur morbi infiniti animi,qui pernicioſiores ſunt,&multò periculoſiores,quàm corporis. Corporis quidem infirmitates,ac morbos curare poteſt medicus, nulla medicina curare poteſt animi morbos. Animus æſtuans, & concitatus vino, facultatibus ſuis omnibus laudabilibus ſpoliatur. Multa nobis blandimenta corruptio naturæ genuit, quibus ſopita virtus, & animæ facultates proſtratæ jacerent: quibuſque prima ætas,ac etiam corroborata carperetur. Sed nulla capitalior peſtis ſeſe inſinuavit in animis hominum, quàm corporis voluptas, & ingurgitatio cibi ac potus. Propter hæc plerique in morbos graves, tum in damna, tum in dedecora incurrunt. Sæpe etiam legum judicio-

diciorumqne pœnis obligantur. Vitium gulæ non modò minuit ætatem hominibus,ſed aufert ſæpius. Quibus malis accedit & id, quod graviſſimum cenſeri debet; nempe quòd ira Dei incenditur, & furor illius exardeſcit in Sardanapalicos, & Epicureos iſtos ventres, qui ſummum bonum cōſtituunt in his turpibus voluptatibus: in quibus qui vel diem unum immorantur integrum, hominis nomine digni non debent æſtimari:quòd à ratione, quæ nos à brutis ſegregat, alienant, & virtutibus omnibus deſtituunt. Sobrii eſtote,inquit Petrus, & vigilate: quia adverſarius veſter Diabolus circuit,quærens quem devoret. Nolite inebriari vino, monet Paulus, in quo eſt luxuria:Sed impleamini ſpiritu ſancto.Et Lucas: Attendite vobis,ne fortè graventur corda veſtra crapula,& ebrietate,& curis hujus vitæ, & ſuperveniat in vos dies illa. Tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes qui ſedent ſuper faciem terræ. Multi exiſtimant leve vitium ineſſe vino : neque Deum offendi , ſi hilariùs aliquando in conviviis indulgeamus potui : Sed nō conſiderant ex ebrietate in quantam peccatorum abyſſum ſeſe præcipitent mortales. Recitāt hiſtoriam Patres de quodam Heremita,qui cùm vitam alioqui ſanctam inſtitueſſet, aſſiduis tamē vexabatur à Satana tentationibus , ut ex tribus peccatis,quæ illi proponebat,alterutrū admitteret:vel homicidiū, vel ſcortationē, vel ebrietatē,

1.Pet.5 *Eph.5.* *Luc.21*

Cumque diu à tentatore turbatus eſſet, pertæſus iſtius inquietudinis, elegit quod exiſtimavit leviſſimum, nempe ſemel inebriari. Quod ut fieret ſine periculo, ſorori ſuæ mulieri ſanctæ communicavit hanc ſuam voluntatem, à qua cùm non poſſet piis exhortationibus & admonitionibus fratrem divertere, illi potum vini largiorem indulgere coacta eſt. Qui paulo poſt è ſomno, & temulentia expergiſcens, vim ſorori (quæ illius lectulo adſtabat, obſervans ſedulò ne quod in periculum laberetur) intulit. At cùm manè crapulā edormiviſſet, inceſtus horrore cruciatus, metu ne ſcelus palam fieret, ſororem obtruncavit, & terra texit. Ita factum eſt ut ex ebrietate inceſtus & parricidium naſcerentur. Vidi & ego, locum neque perſonas nominare nolo (ut famæ viventium non inuram notam) Vidi inquā virum autoritate, & divitiis commendatum: qui in die feſto ebrius, nihil tale cogitans cum matre primū pota, deinde cum filia una nocte concubuit, amiciſque convivis negotium communicans, adhibita luce invenit inceſtum duplex: cujus rei horrore mater mortua eſt, filia gravida: Inceſtuoſus in inſaniam lapſus.

NON

CAP.L.

Non furaberis.

ACHAM. *Ioſue.7.*



Inconſultus Acham de præda ſubtrahit aurum;
Atque Semiramia pallia texta manu.
Furtum adjuratus Ioſua cogente fatetur:
Et ſaxis juſſu judicis obruitur.

HOc præcepto mandatur, ut unuſquiſq; ſua ſorte contentus, in poſſeſſiones alienas non involet: ſive rapina violenta, ſive malitioſa impoſtura, tecta calliditate, aut aliis fraudibus; quibus vi, falſa juris ſpecie, donatione vafra, aut alia aliqua illicita ratione diripiuntur, ſubtrahuntur, aut emungũtur aliena bona. Nullũ igitur niſi honeſtum lucrum, & legitimum facere ſtudeamus: neq; appetam⁹ diteſcere aliena injuria, aut damno. Nec opes cõtendamus accumulare ex alieno ſanguine expreſſas, intemperanter & avarè undequaque per fas ac nefas corradentes rem alienã, ut noſtra augeatur, expleatur noſtra avaritia, vel prodigalitati ſatisfiat. Vetamur hic rebus alienis inhiare: cùm certum ſit unicuique eveniſſe id quod poſſidet nõ fortuitò vel caſu aliquo temerario, ſed ex diſtributione & providẽtia Divina. Qui alienas facultates malis artibus præripit, divinæ diſpenſationi fraudem facit. Qui
Pro.20 congregat theſauros lingua mendaci, vanus & excors eſt: & impĩget ad laqueos mortis: Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium. Pondus & pondus: menſura & menſu-

ra:

ra:utrumque abominabile eſt apud Deum:& ſtatera doloſa non eſt bona:& pondus æquum volũ
tas Dñi. Vę ei qui multiplicat non ſua:uſque quò *Hab.2.*
& aggregat contra ſe denſum lutum? Nũquid nõ
cõſurgent repente qui mordeant te? & ſuſcitabũtur lacerantes te? & eris in rapinam eis: Quia ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint in populis. Væ, qui congregat avariciam malã domui ſuæ:conſcidiſti multos,& peccavit anima tua. Non facietis furtum,nec menti- *Levit.*
emini:nec decipiet unuſquiſque proximum ſuũ. *19.*
Super furem eſt confuſio,& pœnitentia;& denotatio peſſima ſuper bilinguem. Potior fur, q̃ aſſi- *Eccl.5.*
duitas viri mendacis:perditionẽ autẽ ambo here
ditabunt. Nolite locũ dare diabolo. Qui furaba- *Eph.4.*
tur,jã nõ furetur:magis autẽ laboret operãdo manibus ſuis quod bonũ eſt,ut habeat unde tribuat neceſſitatẽ habẽti. Nihil eſt turpi⁹ ingenuo,nihil minus libero dignũ, q̃ furti cõvinci: & in cõventu civiũ, vel raptum reddere,vel infamia publicè affici. Vnuſquiſq; igitur ſuis bonis cõſervandis fidelẽ impendat operã, iis utatur liberè, & ab alienis abſtineat. Nihil meum eſt neque cujuſquã, ꝙ per vim,per dolũ, aut ꝑ impoſturas detractũ eſt. Hic avaricia procul eſt rejicienda, quę mater eſt multorũ flagitiorũ,& huic maximè pręcepto cõtraria ex oppoſito. Cupiditas alieni incãtamento quaſi magico mẽtẽ ꝑvertit hominis. Vidit Achã *Ioſu.7.*

filius Charmi de tribu Iuda in præda Hierichontis expugnatę à Ioſua plurima precioſa:ex quibus Pallium coccineum, ducentos argenti ſiclos, & regulam auream quinquaginta ſiclorum: quę rapuit & in tabernaculo ſuo abſcondit, Dominiq; juſſu lapidibus eſt obrutus, & igne conſumpta quæcunque ad illum pertinebant. Cùm duæ res ſint quę maximè homines ad maleficium impellant, luxus & avaricia. Avaricia omni humanitati, ac ſocietati generis humani magis adverſatur. Eſt enim crudelis inſidioſa, mendax, diſſimulatrix, vigilans in perditionem proximi. Et ab ea charitate prorſus aliena, ſine qua Chriſtianus nemo dici poteſt, ut ipſe Paulus clarè teſtatur. Si linguis hominum & angelorum loquar, charitatem autem non habeam, factus ſum ſicut æs ſonans, & cymbalum tinniens: Charitas aliena non expetit, neque rapax eſt, neque doloſa. Diverſis peccatis homines in perditionem pertrahit Satan. Nõ refert collo, vel pede uno vinctam teneat beſtiã laniò, dummodò illam laqueo ad macellum cogat, & lanienam.

1.Cor 13

HELY

CAP. LI.

HELY SACERDOS. *1. Sam.4.*



Perdidit inſanos nimia indulgentia natos.
Dat letho Nemeſis præcipitata patrem.
Iure dat irato pœnas pro numine cœlo.
Deſertum quiſquis negligit officium.

VIRO bono perpetuus hic ſemper eſſe debet ſcopus, omnes quoadlicet conſilio & ope fideliter in retinendis ſuis bonis adjuvare: Et quos rerũ difficultate,& penuria premi viderit, eorum neceſſitatibus communicare:ac ſuis facultatibus eorum ſublevare inopiam: Perſolvat bona fide quod debet:cedat de ſuo potiùs, quàm obſtinatè contendat, cum perfido & falace. In contractibus nulla captione ſimplices vafrè irretiat:neque illecebris verborum tanquam hamo ineſcet imprudentiorem. Artes enim omnes, quibus proximorum poſſeſſiones, aut pecuniæ ad nos derivantur, ubi à ſinceritate dilectionis, aut fallendi, aut quovis modo nocendi cupiditatem obliquant, pro furtis habendæ ſunt; licet humanum judicium fallant, & in cogitationem non veniant. Furtum amicitiam violat,concordiamque publicamlabefactat. In quibuſdam neque pecuniæ modus eſt, neque cupiditatum ; quos nulla unquam præda improbè parta,nec furtis doliſque res quæſita ſatiat, ſed illis auget potiùs, & inflammat habendi deſiderium. Illud Chriſti dictum nos in mente ſem-

ſemper habere oportet: Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris. Fures ſunt qui pondera & menſuras falſas habent. Statera juſta, & ephi juſtum, & batus juſtus erit vobis. Non habebitis in ſacculo diverſa pondera, majus & minus: Non erit in domo tua modius major, & minor. Abominatur enim Dominus qui facit iſta. Statera doloſa abominatio eſt apud Deum: & pondus æquũ volũtas ejus. Fur & is habendus eſt, qui proximum gravat uſuris ac fœnore. Qui coacervat divitias uſuris & fœnore, in pauperes congregat eas. Subſtantia feſtina minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. Qui cum fure participat odit animam ſuam. Fur eſt dicẽdus qui terminos ægrorũ proximi ſuo movet loco. Ne attingas parvulorum terminos; & agrũ pupillorũ ne introeas. Propinquus enim illorum fortis eſt; & ipſe judicabit contra te & cauſam illorum. Ad hoc prçceptum referri debet uniuſcujuſque officiũ; ut unicuique quod debetur præſtemus. Alienum enim retinet & pervertit, qui non exequitur quod ex ſuæ vocationis munere aliis debet. Ita eos qui nobis præfecti ſunt debemus colere, & honorare ex præcepto divino. Rurſum illi curã gerant ſubditorũ. Sacerdotes, & qui Eccleſiis prępoſiti ſunt, fideliter in miniſterio verbi inſiſtant: Populus eos pro Nunciis & Apoſtolis Dei ſuſcipiat. Peccavit Balaam Beoris filius, qui officiũ de-

Deut. 20. Deut. 25. Pro. 11. Pro. 28 & 13. Pro. 23 Deut. 19.

Nu.22 ſerens, Balaco Moabitarum regi ſuaſit, ut Iſraëlitas fornicationibus averteret à cultu Divino : ut quos non poterat maledictione perdere, libidinibus à Deo diſtraheret. ideo meritò cæſus eſt ab Iſraëlitis, cùm Moabitarum reges occiderentur. Parentes liberos alant, regant, doceant, foveant, & amplectantur. Liberi illis præſtent omnẽ obſervantiam, & obedientiam, nihil illis fraude eripiant. Qui ſubtrahit aliquid à patre ſuo, vel à matre ſua, & dicit hoc nõ eſt peccatum, particeps eſt homicidæ. Parentis officio non benè functus eſt Hely ſacerdos, dum nimia filios indulgentia corrumpi permiſit. Propterea duo illius filii in prælio contra Palęſtinos (quo & arca Domini ab hoſtibus capta eſt) interempti ſunt. Pater ut natorum Ophni & Phinees mortem audivit, & arcæ Domini raptum, lapſus è ſella occiditur : illiuſq; nurus Phinees uxor in partu extincta eſt. Dominis cavẽdum eſt ne ſint moroſi, aut intractabiles erga ſervos ſuos : ne vexent eos aſperitate nimia, nec cõtumelioſè excipiant. Sed norint eos ſimul Chriſti conſervos eſſe : Servi verò ſe ad obſequiũ ſedulos, & morigeros præſtent, neque id ad oculum, ſed ex animo, tanquam Deo ſerviẽtes. Et ad hunc modum quiſque diligenter cogitet & perpendat, quid in ſuo ordine debeat proximo: idq; ꝙ debet fideliter ſolvat: neq; ab officio ſe abſtrahi ſinat: niſi contra hoc pręceptũ reus judicari velit.


Pro.28 · 1.Sa.4. · Eph.6.

Non

CAP. LII.

Non eris falſus teſtis.

SVSANNA. *Dan.13.*



Caſtam ut viderunt Suſannam fonte lavantem,
Incendit turpes ſpurca libido ſenes.
Inſontem accuſant: ſed coram iudice teſtes
Convicti, merita crimina morte luunt.

Ff

MANDATO hoc nõ ſolùm Deus prohibet falſum teſtimonium ſolenne & judiciarium, quod à magiſtratu publicè requiritur: ſed vulgare etiam teſtimoniũ, & privatum interdicitur: nempe quod fit in familiaribus ſermonibus, per calũnias, & ſiniſtras obtrectationes, quibus proximi fama gravatur iniquè. Quapropter diligenter cavendum eſt ab omni maledicentia: Studeamus autem ut lingua noſtra in aſſeranda veritate ſerviat, & ad famam proximorum conſervandam; illorumque utilitatem & commodum promoveat. Nihil eſt tam volucre, quàm maledictum: nihil faciliùs emittitur, nihil latiùs diſſeminatur, & difficiliùs revocatur. Res omnium rerum nocentiſſima eſt calũnia. Deus, qui eſt ipſiſſima veritas, mendacium funditus execratur: jubetque nos in hac ſocietate vitæ concordiam, & mutuã charitatem colere & retinere. Quod fieri nõ poteſt, ubi calumniis falſiſque criminationibus violatur nomen proximi: vel mendatio in ſuis fortunis læditur, vel maledicentiæ, procacitatiſque libi-

libidine petulanter exulceratur. Fidelis opera ſẽper commodanda eſt unicuique in aſſerenda veritate, cùm de illius fama negotium agitur, aut ad tuendam bonorum illius integritatem. Nõ facies *Levit.*
calumniã proximo tuo, nec vi opprimes eũ. Re- *19.*
move à te os pravum, & detrahentia labia ſint à *Pro. 4.*
te procul. Non ſuſcipies vocem mendacij: nec jũ- *Exo. 23*
ges manum tuam, ut pro impio dicas falſum teſtimonium. Abominatio eſt domino labia men- *Pro 12.*
dacia: qui autem fideliter agunt, placent ei. Cu- *Sap. 1.*
ſtodite vos à murmuratione: & à detractione parcite linguę. Os qui mentitur occidit animam ſuã. *Eccl. 7.*
Noli amare mendaciũ adverſus fratrem tuũ: neq; in inimicũ ſimiliter facias: Sex ſunt quę odit Dñs, *Pro. 6.*
& ſeptimum deteſtabitur anima ejus, Oculos ſublimes, linguã mendacem, manus effundẽtes innoxium ſanguinem, cor machinãs cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currẽdũ in malũ: teſtẽ fallacem proferentẽ mendacia, & eũ qui ſeminat inter fratres diſcordiã. Et Dñs hęc pręcepit: Cùm *Deut.*
diligentiſſimè perſcrutãtes invenerint falſum te- *19.*
ſtem dixiſſe cõtra fratrẽ ſuum mẽdacium: reddẽt ei ſicut fratri ſuo facere cogitaverat & auferes malum de medio tui: ut audientes cæteri timorem habeant: & nequaquam talia audeãt facere. Cùm ſteterit teſtis mendax contra hominem accuſans eũ prævaricationis, ſtabunt ambo quorum cauſa eſt ante Dñm in conſpectu ſacerdotum & judicũ

Exo. 21 qui fuerint in diebus illis. Non miſereberis ejus: ſed animam pro anima, oculum pro oculo; dentē pro dente, manū pro manu, pedem pro pede exiges. Graviſſimis ſemper pœnis cautum eſt, tā divinis quàm civilibus legibus, ut de falſis teſtibus ſumeretur ſupplicium: nec abs re: Si enim locus eſſet talibus monſtris, nulla cōcordia, nullum ſocietatis vinculum inveniri poſſet, quod non diſſolveretur: & in periculū venirent fortunæ ac vi-
Dan. 13 ta bonorum. Suſannam Helciæ filiam, & Ioachimi uxorē, amore impotenti arſerunt judices duo Iſraëlitarum, qui Babylonem tranſlati erāt. Cùm autem matronam in pomario lavantem, ſolamque deprehendiſſent, illi vim inferre ſtatuerunt; quam illa cum precibus ſedulò averteret, miniſq; illorum nō poſſet flecti, illam accuſarunt tanquā in adulterio deprehenſam. Dumque ad mortem traheretur innocens, ſuſcitavit Deus Danielem, qui falſi teſtimonii convictos, eidem ſupplicio condemnavit, ad quod ducebatur mulier caſtimonia & fidelitate erga maritum eximia: Periculoſè maledicit alteri, cui vel idem vel ſimile, vel diverſum, vel deterius vitium poteſt objici.

NA-

CAP. LIII.

NABOTH ET IESABEL. 4. Reg. 9.



Prædia ut eriperet Nabotho Sidonia coniux,
Corruptis vita teſtibus exuitur.
Non impune tulit mulier ſcelerata rapinam,
Quæ tandem infeſto eſt dilaniata cane.

SI odioſa eſt deteſtandaq; omnibus bonis ea criminatio, quæ ex malignitate,& obtrectandi petulantia naſcitur: execranda eſt ea mala linguæ protervitas & mẽdatium,cùm ſub prætextu juſtitiæ & pietatis, famam, bona & proximi vitam in diſcrimen trahit perfidus calumniator. Achab filius Amri Samariæ regis Nabothi Ieſraëlitæ vineam cùm non poſſet permu-
3. Reg. 21. tatione vel precio obtinere, Ieſabel Ethbaalis Sidoniorum regis filia uxor Achabi ſuppoſitis falſis teſtibus Nabothum criminata eſt, tanquam blaſphemum in Deum ac regẽ. Horum teſtimo-
4.Re.9 nio cõvictus,ſententia judicum lapidatus eſt.Sed non multò poſt perfida mulier ſcelerati teſtimonii pœnas dedit:Cùm juſſu& mandato Iehu è palatii feneſtris pręcipitata,interiit,& à canibus diſ-
3 Re.22 cerpta. Ac ipſe Achab in prælio contra Syros ſagitta ictus periit, illiuſque ſanguis effuſus eſt eo loco,ubi Nabotbus fuerat interfectus,ac perfidæ avariciæ pœnas dedit. Raró enim ſine perjurio committitur falſum teſtimonium. Mendacium juramento confirmare ſemper promptus eſt calumniator: Nec dubitat de pejerãdo,qui facinus

cum

cum perjurio non dubitaverit committere. In atrocibus ſceleribus nihil ponderis habere debet juſjurandum. Nam quiſquis audet dare venenū, cædem, aut adulterium, furtumve committere audebit, & ea crimina cum perjurio inficiari. Quibus Dei verus timor ineſt, ii ſemper ſtudebunt, quoad licet expeditque, & quantum fert charitas, ne perfidis calumniis in aliena bona involēt: ne maledictis, & amaris ſalibus vel linguā, vel aures præbeant: ne obliquis ſuſpitionibus temerè mentē permittant. Sed æqui erga omnium dicta & facta interpretes, cùm judicio, tum auribus, tum lingua ſalvum illis ſuum honorem ſervent. Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: *Pro. ii.*
qui autem fidelis eſt celat amici cōſilium. Nolite *Iac. 4.*
detrahere alterutrum. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem, detrahit Legi, & judicat Legem. Tu autem quis es, qui judicas proximum tuum? *Mat. 7*
Nolite judicare, & non judicabimini: In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Quid *Mar. 4.*
vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Iaculum, & gladius, & ſa- *Pro. 24*
gitta acuta homo qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium. Ne ſis falſus teſtis contra proximum, nec lactes quēquam labiis tuis. Nec dicas, quomodo fecit mihi, ſic faciā ei: & reddam unicuique ſecundum opus ſuum.

Levit. 19. Non erit criminator, nec ſuſurro in populo: nec ſtabis contra ſanguinem proximi tui: Ego Dñs. Pro. 14. Teſtis fidelis non mentitur: profert mendacium Pro. 24 doloſus teſtis. Teſtis mendax peribit. Time Dominum, fili mi: & cum detractatoribus non cõmiſcearis: quoniam repente conſurget perditio Pro. 21. eorum; & ruinam ipſorum quis novit? Qui ſeminat iniquitatem, metet mala: & virga iræ ſuæ con- Pro. 6. ſumabitur. Homo apoſtata, vir inutilis graditur ore perverſo: annuit oculis, terit pede, digito loquitur: pravo corde machinatur malum: & omni tempore jurgia ſeminat. Summa hujus præcepti charitas eſt: ad quam omnes vitę noſtrę partes referri oportet. Non ſufficit non calumniari quenquam, non dicere falſum teſtimonium in ullius famam aut vitam. Deus interiora requirit. Stultũ eſſet putare Deum odiſſe maledicentiam linguę, & malignitatis in animo morbum non improbare. Qui præcipit non detrahere famæ proximi, vult illius famam nobis eſſe commendatam: & eam promovere nos jubet, quantùm à nobis fieri poterit.

Non

CAP. LIV.

Non concupiſces. *Luc.12.*

VIR DIVES.



Ingentes tibi ſunt numeroſi farris acervi:
Flavaque matura prædia meſſe vides.
Dilatanda forent ſpatioſis horrea cellis.
Sed nox cum furva proxima morte venit.

QVICQUID concipimus, deliberamus, volumus, meditamur,id cum proximorum bono &commoditate conjunctum eſſe debet.Nulla igitur cogitatio nobis irrepat,quæ noxia in alterius detrimentum vergente concupiſcentia animos noſtros commoveat. Tota enim anima noſtra dilectionis affectu poſſideatur neceſſe eſt,ſi huic mãdato, nos velimus ſubmittere: quod à ſuperioribus ſeparatum eſt, & diſtinctũ. Differt enim conſilium à concupiſcentia. Nam conſilium eſt deliberatæ voluntatis conſentio, ubi animum libido ſubjugavit. Cupiditas citra talem & deliberationem & aſſentionem eſſe poteſt: cùm animus vanis perverſiſque objectis pũgitur & titillatur. Quemadmodum ſuperioribus mandatis Deus animos noſtros inflecti atque induci in iram,odium,ſcortationem, rapinam,mẽdacium vetuit; hoc poſtremo prohibet inſtigari; omnes animi conceptiones ad charitatis regulã dirigere nos jubens:ne qua in nobis prava aut cõtorta ſit volũtas, quæ animum aliorſum extimulet. Si enim charitate totus imbutus ſit animus, nulla

nulla ejus particula invenietur, quæ ab aliqua imaginatione, deſiderio, aut cupiditate noxia proximo laboret. Cùm charitate vacuus eſt, tum cōcupiſcentiam recipit. Tantum enim dilectionis ardorem in nobis Deus exigit, qui ne minimis concupiſcentiæ tricis impediri, nullis aculeis cōmoveri à lege charitatis poſſit. Propterea ſpeciatim additæ ſunt partes, in quibus concupiſcentia mala operatur: Nempe prohibemur à cupiditate domus, agri, uxoris, ſervi, & omnium rerum quæ ad proximum pertinent: quas ſalvas & intactas nobis præcipit. Sed nō patitur animum noſtrum ſolicitari, vel minima horum cupiditate. Hic avaricia ſeveriſſimè condemnatur. Nullum enim eſt officium tam ſanctum, atque ſolenne, quod nō avaricia comminuere, atq; labefectare ſoleat: nihil tam ſacrum quod non violet, nihil tam vinctum quod non diſſolvat, nihil tam munitum ꝙ non expugnet. Duæ ſunt res, quæ homines violenter ad maleficium impellunt, Luxuries & Avaricia. Difficilè eſt eū virtutes retinere, qui ſemper in coacervādis divitiis eſt occupatus. Videte, inquit Chriſtus Apoſtolis, Cavete ab omni avaricia; quia non in omni abundantia cujuſquam vita ejus eſt ex eis quæ poſſidet: & addit ſimilitudinem divitis illius, qui tantā meſſem collegerat, ut ejus horrea illam non poſſent capere: Qui cùm apud ſe ratiocinaretur dicens, dilatabo horrea *Luc.12*

mea,&c. reſpōſum eſt illi. Ecce repetetur à te hac noctè anima tua. Quę autem paraſti,cujus erunt? Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deo dives. Concupiſcentiæ divitiarum nos à via ſalutis divertunt, nec patiuntur nos ſequi Chriſtum: ut patet in parabola ſeminantis. Semen quod cadit inter ſpinas: Hic eſt qui verbum Dei audit,& ſolicitudo ſæculi hujus, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum; & ſine fructu efficitur. Væ illi,qui congregat avariciam malam domui ſuæ: ut ſit in excelſo nidus ejus; & liberari ſe putat de manu mali. Vę vobis,qui conjūgitis domum ad domū, & agrum agro copulatis uſque ad terminū loci: nunquid habitabitis ſoli in medio terræ? Avaro nihil ſceleſtius:Quid ſuperbis terra & cinis? nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua projecit intima ſua.Neque honos, neque virtus,neque fama, neque amicitia curæ illi eſſe poteſt,qui ſe ſtudio conquirendarum opum dedit.

Matt. 13. *Hab. 2.* *Eſa. 5.* *Ecc. 18.*

DI-

CAP. LV.

DIVES IVVENIS. *Matth. 19.*



Qui legem exactè ſervaſſe probabitur, illum
Indigetes inter vita beata manet.
Fortunas proprias largire benignus egenis,
Ferfecta ut Chriſto ſis pietate comes.

NON ſolùm circa avariciam peccatur cõtra hoc ultimum mandatum. Deus qui præcipit, Nolite vobis theſaurizare theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur: Theſaurizate
Mat.6 vobis theſauros in cœlis. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi cor tuum: Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ. Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus? quid bibemus? aut quo operiemur? Scit Pater veſter quia his omnibus indigetis. Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiã ejus; & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus dies ſolicitus erit
Matt. 19. ſibi ipſi. Sufficit diei malitia ſua. Cùm ad Chriſtũ veniſſet quidam dives juvenis, & ab eo quæſiſſet, quid illi op⁹ eſſet facto, ut poſſideret vitã ęternã. Serva mandata, ait Chriſtus. Atque ea cuſtodivi à juventute mea, reſpondit adoleſcens, quid mihi
Luc.18 eſt reliquum. Illi ſubjecit Dominus. Si vis eſſe perfectus, vade, vende omnia quę habes, & eroga pauperibus, ſic habebis theſaurum in cœlis: veni & ſequere me. Hæc cùm audiviſſet dives ille receſſit triſtis. Ieſus autem ad diſcipulos converſus ait.

ait. Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum. Faciliùs eſt camelum tranſire per foramē acus, quàm divitem intrare in regnum cœlorum. Qui aurum diligit non iuſtificabitur. Multi dati ſunt in auri caſus: & facta eſt in ſpecie illius perditio illorum. Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantium. Væ illis, qui ſectantur illud: & imprudens peribit in illo. Beatus eſt dives, qui inventus eſt ſine macula: & qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia, & theſauris ſuis. Qui acervat ex animo ſuo injuſtè, aliis cōgregat: & in bonis illius alius luxuriabitur. Inſatiabilis eſt oculus cupidi in parte iniquitatis: non ſatiabitur donec eum conſumat arefaciens animam ejus: hæc circa avariciam ac pecuniæ divitiarumque amorem dicta ſunt. Sed extenditur concupiſcentia longiùs, & ad luxum libidineſque inducit hominis animum Abimelech rex Gerar Palæſtinus vidit Saram uxorem Abrahæ formoſulam, & eam concupivit, rapuitque & ſibi adjunxit. Sed Deus regi apparuit in ſomnis, antequam illam contingeret, & dixit: Morte morieris propter mulierem, quam tuliſti: habet enim virum. Dinam ut vidit Sichemus, illius deſiderio flagravit, & cum ea concubuit: In ſtupri ultionem Simeon & Levi Iacobi filii, & Dinæ fratres, Sichemum cum Hemore patre, & omnibus urbis civibus ad internecio-

Eccl. 3.

Ecc. 14.

Gene. 20.

Gen. 34

nem ceciderunt, & urbem diripuerunt. Iſraëlitæ concupiſcentes Moabitarum filias Beelphogori ſacrificarunt, & peregrinorum deos adoraverũt: Et Salu Zambris filius cum Cosbi Madianitarũ Principis filia rem habens, à Phineo Eleazaris filio & Aaronis nepote telo transfoſſus eſt cũ meretricula, quæ ſe proſtituerat in præſentia populi. Concupiſcentiæ & deſideria inordinata magnorum malorum cauſæ ſunt: ab iis declinandum ſe-
Ecc.36 dulò, ne nos in interitum pertrahant. Species mulieris exhilarat faciem viri: & ſuper omnẽ cõcupiſcentiam hominis ſuperinducit deſiderium. Avertendos oculos à talibus nos monet ſcriptura: Cupiditates facilè ſe inſinuant in mentem hominis, & gliſcũt in interiora animi per oculos. Sed qui ſuis contentus eſt rebus, is nihil ulterius poſcit: Satis enim dives eſt. Is dives & beatus eſt, qui animo quieto eſt: qui nihil expetit, quod rationi adverſatur, aut proximum offendat: In uſu nõ in poſſeſſione dulcedo divitiarum eſt æſtimanda.

ISRA-

CAP. LVI.

ISRAEL CARNES CONCVPISCIT.



Stulta Paretoniæ menſas reminiſcitur oræ.
Turba, atque Ægypto mæſta abiiſſe dolet.
Quæ poſtquam immiſſa ſatiata coturnice ſedit,
Funeſtos triſti reſpuit ore cibos.

MULTORUM malorum cauſam peperit cupiditas, quæ ab officio bonos alioqui viros ſæpius avertit, & præcipitavit in gravia pericula, dedecus, & infamiam.
1. Ti. 6. Hanc quidam appetentes erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Ne ſitis cõcupiſcentes malorum ſicut patres veſtri concupiverunt, & proſtrati ſunt in deſerto: Poſtquã ex Ægypto Moſe duce diſceſſiſſent Iſraelitæ, trajectoque ſinu Arabico in deſertis hærerent, memores carnium, peponum, cucumerum, alliorum, & ceparum, quæ ad ſatietatem comederant cum adhuc eſſent in terra Geſſem; concupiſcentes priores eſcas, quibus carebant, murmu-
Nũ. 11. & 26. raverunt cõtra Moſem & Aaronem: qui illos abſtraxerant juſſu Domini de ſervitute Pharaonis, ut populum introducerent in Chananeorum regionem promiſſam à Deo ſervis ſuis Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo: Dominus irritatus immiſit illis magnum numerũ cothurnicum, quas cùm uſq; ad ſatietatẽ comediſſet populus, & adhuc eſſent carnes inter dẽtes eorum, nec defecerat ejuſmodi cibus, cùm furore Domini exardeſcente percuſſi

cuſſi ſunt plaga magna, proſtratiq; ſunt plurimi. & locus ubi ſepulti ſunt, vocatus eſt ſepulchra cō cupiſcentiæ. Salomon de his loquens ait. Propter idolorũ cultũ & his ſimilia Iſraëlitæ paſſi ſunt digna tormenta. Et per multitudinẽ beſtiarum exterminati ſunt. Pro quibus tormẽtis benè diſpoſuiſti populum tuum, quibus dediſti concupiſcentiam delectamenti ſui novum ſaporem, eſcā parans ei ortygometram: Vt illi quidem concupiſcentes eſcam præter ea quæ illis oſtenſa ſunt, & miſſa, etiam à neceſſaria conſcientia averterentur. Hi autem in brevi inopes facti, novam guſtaverunt eſcam. Oportebat enim illis ſine excuſatione ſupervenire interitum: Supervenit illis ſæva beſtiarum ira, & morſibus peſſimorum colubrorum exterminabantur. Sed neque circa ingluviem crapulam tantùm conſideratur hæc cupidatas, imo circa reliquos carnis malè ordinatos affectus: impudicitiam, avariciam, vindictam, & ejuſmodi. Non regnet peccatũ in veſtro mortali corpore: ut obediatis concupiſcentiis ejus. Cōcupiſcit caro adverſus ſpiritum. Opera carnis ſunt fornicatio, immundicia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, immunditiæ, cōtentiones, &c. Sculptilia gentium igne combures: non concupiſces argentum & aurum de quibus facta ſunt: neque aſſumes ex eis tibi quicquam, ut offendas propter ea: quia abominatio eſt Dei tui: nec

Sap. 16. *Rom. 6* *Gal. 5.* *Deut. 7*

inferes quidpiam ex idolo in domo tua, ne fias anathema, ſicut & illud eſt. Poſt concupiſcentias tuas non eas: & à voluntate tua avertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, facient te in gaudium inimicis tuis. Charitas aliena non concupiſcit: ſua egentibus largitur, & communicat. Compiſcentia eſt inſatiabilis: ſtimulum habet avaritiam ac voluptates: Corrupti depravatique mores redduntur admiratione, & cupiditate di-
Ecc.14 vitiarum. Hæc inflammat & urget animum hominis, ſolicitudinibuſque perplexis, & curis urẽtibus irretit: dies ac noctes cupidi cor lancinans, nec illi quietem, aut remiſſionem à deſideriis relinquẽs: Tam enim deeſt avaro quod habet, quã quod non habet. Cõflictatur aſſiduè propter immenſam pecuniæ cupiditatem, quæ validus eſt morbus, & incurabilis. Permeat enim in venas, & hæret in viſceribus, nec inveteratus avelli ratione potis eſt ſine magna difficultate, cùm in habitum verſus eſt, & in cor radices jecerit.

LE-

CAP. LVII.

LEGIS DOMINI SCOPVS.



Divinæ legis ſcopus eſt, reverentia ſumma
Noſtrum ut ſubjiciat corque animumque Deo.
Vt fraterna homines ſociet dilectio, quique
Mortales ſancto fœdere jungit amor.

LEGIS ſcopus ſemper hic propoſitus eſt à Moſe, Prophetis, & Apoſtolis, ut Deũ amemus ex tota anima noſtra, ex toto corde noſtro, & ex totis viribus noſtris: Et proximum noſtrum ſicut nos ipſos. Et in eo manifeſtabimus nos ex Deo eſſe, ſi ad hanc obediẽtiam conformemus omnes actiones noſtras; omnes noſtras cogitationes, & ſtudia noſtra ad hęc cõferamus: & ad Divinæ puritatis exemplar vitam noſtram conformemus. Nam huc reſpicit Legis doctrina, ut hominem vitæ ſanctitate cum Deo ſuo conjungat, & cohęrere faciat. Puritaſque hęc ex dilectione Dei & proximi adimpletur. Ideo Paulus ſcribẽs ad Timotheum dicit. Finis præcepti eſt charitas, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta: quæ pietatem judicant, unde charitas oritur. Et multis in locis ipſe Chriſtus inſiſtit maximè obſervationi ſecũdæ tabulæ, quæ charitatis, & dilectionis officia mandat; quòd ex hac probatur prioris obedientia. Quæ enim in hominis latent corde (ut Dei timor & amor) non facilè ab homine perſpiciuntur in hypocritis, qui ceremoniis aſſiduè incumbũt. At opera charitatis

Tim.1.

ritatis talia ſunt, ut ſolidam juſticiam per ea teſtemur. Ita Prophetæ ad pœnitentiam ubique adducunt homines, fidem, judicium, miſericordiã & æquitatem urgentes; ſeriamque probationem timoris Dei à ſignis externis exigentes. Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis: Hæc eſt enim Lex & Prophetæ. Et Omnis Lex in uno ſermone impletur, Diliges proximũ tuum ſicut teipſum. Et, Dilectio malũ non operatur. Plenitudo Legis eſt dilectio. Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculũ perfectionis. Et Iacobus, ut fidem veram & vivam probet, per opera illam declarari jubet. Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſervare eum? Si autem frater aut ſoror nudi ſunt, & indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis ad illos, Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini, &c. Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam. Hæc ideo multis verbis inculcat, ut perfectionis regulam in dilectione oſtendat conſiſtere. Optimè igitur & ſanctiſſimè vivere judicabitur is, qui quàm minimùm fieri poteſt ſibi vivit & ſtudet, ſuaque procurat & quærit; ſed ad amorem proximi ſe ſuoſque conatus referre contendit. Vnde & Chriſtus, cùm dilectionis hujus regulam nos docet, præ-

Mat. 7

Gal. 5.

Rom. 13

Colo. 3.

Iac. 2.

cipit ut eum affectum amoris, quem naturaliter ad nos trahimus, eum ad proximũ transferamus. Et ut non minori alacritate ardore, & ſolicitudine parati ſimus ad benefaciendum proximo, quàm nobis ipſis: & non ſolùm amicis, ſed etiam
Pro. 24 inimicis id præſtare neceſſe eſt. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitiverit, da ei aquam bibere: & Dominus reddet tibi. Et ſi conciderit inimicus tuus, ne gaudeas: & in ruina ejus ne exul-
Mat. 5. tet cor tuum. Diligite inimicos veſtros: benefacite iis qui oderunt vos. Orate pro perſequentibus vos: Benedicite iis qui vos execrantur, ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt. Hinc concluditur, quòd qui non hæc faciunt, expungũtur è numero filiorum Dei; & à vitę æternę promiſſionibus, ac ſpe excluduntur: Quæ eſt ruina præparata iis omnibus, qui juſto Dei judicio relinquuntur in ea maledictione, in quam primus Adam inobedientia ſe, ſuamque poſteritatem, & genus involvit, & præcipitem dedit in perditionē ſempiternam; niſi ex ea Dei miſericordia per Chriſtum ſervatorem eximamur.

DI-

CAP. LVIII.

MISERIÆ HVIVS SÆCVLI.



Innumeris plenæ eſt ærumnis vita piorum;
Quos labor aſſiduè cura dolorque premunt.
Sic Deus ex alto decrevit: ut iſta caduca
Spernentes tota ſidera mente petant.

CVm boni, quos Deus ſibi filios adoptavit per fidē in Ieſum Chriſtum ſervatorem, è numero filiorum hujus ſæculi extracti ſint; non eſt mirum, ſi infinitis miſeriis, perſecutionibus, & afflictionibus à Satana humani generis hoſte premantur, & agitentur. Vt igitur toto vitæ hujus miſerabilis curriculo ad cœleſtē immortalitatem excitemur, & enitamur, nō abs re ſtatuit Deus pater cœleſtis, ut in hac vita perpetuò militemus ſub Chriſti Domini noſtri ſignis: qui nos jubet tollere crucem noſtram, & illum ſequi, ſi velimus eo digni cenſeri. Hinc piis omnibus circumquaque impendent miſeriæ, exilia, inopia, contemptus, bella, contumeliæ, morbi, cruciatus, & ipſa mors ultima rerum moleſtarum linea. Probè enim factum eſt, ut perpetuò laboremus in hoc mundo, in quo tātùm hoſpites, non cives eſſe debemus. Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Et ſicut ſocii ſumus paſſionum, ita quoque erimus ſocii conſolationum. Id enim quod in præſenti eſt momentaneū & leve tribulationis noſtræ, ſupramodum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ non videntur ſunt æterna. Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra

2 Cor.4

ſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam, ſed æternam in cœlis. Scimus quoniam dū ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino: Et ideo contendimus ſive præſentes, ſive abſentes illi placere. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti; ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. In hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes. Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem: Spes autem non confundit. Et paulo poſt ſubjicjt Apoſtolus. Exiſtimo quòd non ſunt cōdignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quę revelabitur in nobis. Boni in hoc mundo perſecutiones multas, & tribulationes ſuſtinent, in exemplum juſti iudicii Dei, ut digni habeantur in regno Dei, pro quò patiuntur: Et Deus retributionem dabit perſequentibus electos vindictam in flamma ignis, iis qui non noverunt Deum, qui pœnas dabunt in interitu æternas, à facie Domini, & à gloria virtutis ejus. Et iis qui tribulantur, dabit requiem, in revelatione Domini Ieſu Chriſti de cœlo, cum angelis virtutis ejus. Omnes enim qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur: Quem diligit Dominus, hunc caſtigat: Fla-

2 Cor. 5 *Rom. 5* *2. Th. 1* *2. Ti. 3.*

Heb.12 gellat autem omnem filium quem recipit.In diſciplina perſeverate: Quis eſt filius,quem nō corripit pater? Vt Chriſtus populū ſanctificaret per ſuum ſanguinem, extra portam paſſus eſt: Exeamus ergo ad eum extra portam improperium ejus portantes. Non enim hic habemus permanē-
Iaco.1. tem civitatem, ſed futuram inquirimus. Omne gaudium exiſtimate, fratres, cùm in tentationes varias incideritis: ſciētes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur: patiētia verò opus perfectum habeat:ut ſitis perfecti & integri in nullo
Petr.1. deficientes. Hæc eſt gratia,ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitiam,patiens injuſtè. Et ſi benè faciens,patiēter ſuſtinet. In hoc enim vocati ſumus.Quia Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum,ut ſequamur veſtigia
Mat.5. ejus.Beati qui lugent quoniā ipſi conſolabuntur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnū cœlorum. Be-
Luc.11 ati eſtis cùm maledixerint vobis homines,&perſecuti vos fuerint: & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me, Gaudete & exultate,quoniā merces veſtra copioſa eſt in cœ-
Act.14 lis. Et Paulus lapidatus Lyſtris propter Evangelium, exhortatur fideles ad perſeverentiam, docens per varias tribulationes patere electis intro-
Mar.8 itum in regnum Dei.Propterea Chriſtus dicit. Si
Matt. 10. quis vult me ſequi abneget ſemetipſum, tollat

cru-

crucem ſuam & ſequatur me: Non enim major *Luc.9.*
eſt diſcipulus magiſtro, nec ſervuus domino ſuo.
Patientes eſtote uſque in adventum Domini: qm̃
adventus ejus appropinquat. In noviſſimis dieb⁹
tradet fratrem frater in mortem, & pater filium:
Et inſurgent filii in parẽtes, & morte eos afficiẽt:
& eritis odio omnibus hominibus propter no- *Matt. 10.*
men meum: qui autem perſeveraverit uſque in
finẽ, ſalvus erit. Nolite timere: capilli omnes ca-
pitis veſtri numerati ſunt. Nolite formidare eos
qui occidunt corpus, animam autem nõ poſſunt
occidere: ſed potiùs timete eũ qui poteſt animã
& corpus perdere in gehennam. Qui invenit ani-
mam ſuam perdet eã, & qui perdit animam ſuam
propter me, inveniet eã. Ieſus Chriſtus per mor- *Act. 2.*
tem ſuam deſtruxit eum, qui habebat mortis im-
perium: hoc eſt diabolum. Vt liberaret eos qui ti-
more mortis per totam vitam erant obnoxii ſer-
vituti. Dedidit enim ſemetipſũ pro nobis, ut nos *Titi 2.*
reduceret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi
populum acceptibilem, factorẽ bonorũ operũ.
In hoc enim nos oportet invigilare, ut à ſtatione
in qua ſumus conſtituti à Deo nõ diſcedamus il-
lius injuſſu: ſed ut poſſideamus animas noſtras in
patientia: & ingrediamur per portam anguſtam,
& arctã viam ærumnis & calamitatibus plenam: *Mat. 7*
quę ad vitã ducit, & per quam pauci ingrediũtur,
quòd in ea nihil inveniant, quod carni placeat.

His autoritatibus freti, ac Dei patris noſtri cœleſtis innixi promiſſionibus, neglecto hoc mundo, & quæcunque in eo ſunt, ſurſum elevemus mentis oculos, & ad cœleſtia perpetuò aſpiremus. A-
Iac. 4. micitia hujus mundi, inimica eſt Dei. Et quicunque voluerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur. Nolite diligere mundum, ait
1.Ioã. 2 Ioannes: neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, charitas patris non eſt in eo. Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex patre, ſed ex mũdo. Cùm regnum domini non ſit ex hoc mundo, & illius dominationi nos fateamur ſubjectos, nos omni cura mundana procul rejecta, nihil aliud cogitare debemus, niſi ut ad regnum cœleſte, & beatitudinem æternam vocemur, & conjungamur ſervatori noſtro Ieſu Chriſto: cujus ſpiritu regenerati ſumus, ut mundo & Satanæ renũciantes, quę-
Petr. 1. ramus cœleſtia. Regenerati enim ſumus in ſpem vivam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, incontaminatam, immarceſſibilem, conſervatam nobis
Heb. 4 in cœlis. Habemus Pontificem magnum qui penetravit cœlos: qui cõpatitur infirmitatibus noſtris. Adeamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio, opportuno.

AD-

CAP. LIX.

ADVENTVS CHRISTI.



Vt priſci Ogygis plena inter pocula ſæclo
Miſcebat thalamis philtra proteruus amor:
Sic Chriſti fiet venientis tempore: quando
Deliciis merſos opprimet illa dies.

Matth 24. Luc.17 SICUT erat in diebus Noe,ita erit & advẽtus filii hominis.Sicut enim ante diluviũ erant homines comedẽtes, bibentes, nubentes,& nuptui tradentes, uſque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam:& non cognoverunt, donec venit diluvium,& tulit omnes. Ita erit adventus filii hominis. Vigilate ergo, quia neſcitis *Apoc.3* qua hora dominus veſter vẽturus ſit. Veniam enim ad te,inquit Dñs,ſicut fur:& neſcies qua hora veniam ad te. Dies enim Domini ſicut fur in *1.Th.5* nocte,ita veniet. Cùm enim dixerint pax & ſecuritas, tunc repentimus eis ſuperveniet interitus: ſicut dolor in utero habentis, & non effugient. Reprobi & ſæculi hujus filii, qui verbo Dei neq; obtemperant,neque illius præceptis morem gerunt,hæc derident, tanquam inventa hominum, & larvas quæ ad terrendos ſimplices accomodatę ſunt.Sicut enim fuit omnibus ſæculis,aiunt,ita & quod nobis reliquum eſt vitæ, nobis fluet trãquillum:Edamus,bibamus,deliciis fruamur:cras enim moriemur. Præſentia guſtamus & ſentim⁹: quid nobis curæ de futuris? poſt mortẽ nulla voluptas:Neque Deus eſt tantopere ſolicitus de his inferio-

inferioribus,ut illius majeſtas occupari circa terrena,vilia & contemptibilia velit.Hęc à plurimis noſtri temporis atheis & prophanis ore blaſphemo jactitantur:qui exiſtimant omnem religionē pobiticum tantum eſſe ordinem: ad quem plebs & populus rudis adigi debet, vel autoritate magiſtratus,vel devotione, ad conſervationem ſocietatis humanæ,& politiarum:quæ tantùm Deo curæ ſunt,non particularia in quibus ſuperſtitioſos ſibi placere,& connivere dicūt. De iis Paulus loquitur,Multi ambulant in hac vita,quorū finis interitus,inimici crucis Chriſti; qui ſecundū duriciam eorum,&cor impœnitens theſaurizāt ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei: qui reddet unicuique ſecūdum opera ſua: Iis qui ſecundum patientiam boni operis gloriā & honorem, & incorruptionem quærentibus vitam æternam,Iis autem qui ſunt ex contētione,& qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati,ira & indignatio, tribulatio & anguſtiæ in omnem animam hominis operātis malum. Boni, quos Deus ſibi per ſanguinē Chriſti redemit, afflicti quidē in hoc mūdo premūtur à Satana & ejus clientibus,non tamen opprimuntur. Sunt enī ſub tutela altiſſimi, qui eos protegit & defendit: nec permittit eos ultra tentari, quàm ut poſſint auxilio divino adjuti,tentationi reſiſtere.Corpore quidē in hac miſeriarum valle degunt, ſpiritu *Phil.* 3.

verò ſunt in cœlis; quò firma ſpe ac fide penetrāt, Deum ſemper ante oculos habentes, & gaudia
1.Co.13 cœleſtia perſeverantibus pręparata. Nunc ex parte videmus: cùm autem venerit quod eſt perfectum, evacuabitur quod eſt ex parte. Videmus nunc per ſpeculum: tunc autem facie ad faciem.
Rom.4. Cùm certa fide teneamus Chriſtum traditum eſſe propter delicta noſtra, & reſurrexiſſe propter noſtram juſtificationem, pacem habemus in cōſcientia noſtra: neque quicquam nos poteſt ſeparare
Phil.3. à dilectione Dei. Noſtra converſatio jam eſt in cœlis: unde etiam ſervatorem expectamus Ieſum Chriſtum: qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem virtutis ſuæ, qui poteſt omnia ſibi ſubjicere: De iis qui nos perſecuntur ita ſtatuamus, eos ultionem divinam non evaſuros. Lento gradu ad vindictam ſui divina procedit ira: tarditatemque ſupplicii gravitate compenſat.

EX-

CAP. LX.

EXTREMVM IVDICIVM.



Convenient Chriſti mortales ante tribunal.
Et coram judex omnibus æquus erit.
Excipient juſtos cæleſtia regna: ſed imo
Mergentur miſeri ſub Phlegethonte rei.

EX Chriſti beneficiis fructum exiguum perciperemus, niſi ad reſurrectionem attollerem⁹ animos noſtros. Chriſtus morte ſua vitam nobis ſtabilivit, ita ut à morte ad vitam tranſiiſſe nos dicamus: neque amplius advenæ vel peregrini ſumus, ſed concives ſanctorum, & domeſtici Dei: qui nos cum ipſo unigenito ſedere fecit in cœleſtibus; ut ad plenam felicitatem jam nobis nihil deſit. Licet ſemper in hac vita militemus ſub dura militia, quandiu clauſi ſumus, & detinemur vincti inter cõpedes ergaſtuli carnis hujus. Spe tamen certa apprehendimus quæ non apparent, & fides inviſibilia nobis demonſtrat. Mortui igitur cùm ſimus mundo, vita noſtra abſcondita eſt in Chriſto ſervatore noſtro. Et cùm apparuerit in gloria, nos quoque cum ipſo apparebimus. At ut ad hanc gloriam perveniamus, morte id conſequimur: quæ nos à miſeriis hujus ſæculi liberatos introducit ad immortalitatem: In luctu & miſeriis, mors ærumnarum eſt requies, non cruciatus. Neque refert quàm citò ſe ſe offerat, ſive in juventute ſive in ſenectute. Curriculum hujus vitæ licet nobis à Deo breve

con-

concedatur, eſt tamen ſatis longum ad benè agẽdum. Vt benè vivitur diu vivitur. Qui heri deceſſit, non minùs mortuus eſt quàm qui ante annos mille è vita deceſſit. Et continuatio dierum protractio eſt calamitatum. Perpetuam conſolationem fovẽt pii in animis ſuis, ſe fide per Chriſtum ſalvos eſſe: nullam rem, cauſam, aut occaſionem illos poſſe ſeparare à dilectione Dei, & à ſpe ſuæ ſalutis. Iuſtificati enim ſumus gratis, per gratiam Dei, & redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu: quem propoſuit Deus propitiatorium per fidẽ in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſticiæ ſuæ propter remiſſionem præcedẽtium delictorum. Tollet enim peccata noſtra, & lacrymas noſtras abſterget in die illa, in qua apparebit omnibus judex vivorum & mortuorũ. In reſurrectione noviſſima reſtituemur omnes in integrum, & Deo jungemur per Ieſum Chriſtum; qui reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Et ſicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur, unuſquiſque in ſuo ordine: Primitiæ Chriſtus: deinde ii qui ſunt Chriſti, qui in adventum ejus crediderunt. Oportet Chriſtum regnare donec ponat Deus omnes inimicos ſub pedibus ejus. Noviſſimè autem inimica deſtruetur mors; & erit Deus omnia in omnibus. Reſurgemus igitur in noviſſimo die: & corpus quod ſeminatum eſt in corruptione, reſurget in incor-

Rom. 3.

1 Cor. 15

ruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale: ſicut ſcriptum eſt. Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem. Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Et ſicut portavimus imaginem terreni, tunc portabimus imaginem cœleſtis. Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt: neque corruptio incorruptelam poſſidebit. Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momēto, in ictu oculi, in noviſſima tuba & mortui reſurgent, & nos immutabimur. Cùm autem mortale hoc induerit immotalitatem, tūc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria.
Petr.3. Adveniet autem dies ille ſicut fur: in quo cœli magno impetu tranſibunt, elementa verò calore ſolventur. Terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera exurentur. Novos cœlos, & novam terram & promiſſa Dei expectamus, in quibus juſtitia habitat: expectantes & properantes in adventum diei Domini: per quem cœli ardentes ſolventur,
Apo.21 & elementa ignis ardore tabeſcent. Tunc Electi Dei regnabunt cum Agno in civitate nova Hieruſalem, in qua Deus habitat cum ſanctis ſuis: & abſterget omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit; neque luctus, neque clamor,
neque

neque dolor. De excellentia beatæ vitæ poſt reſurrectionem ſi omnia dicta fuerint,quibus omnium hominum linguæ ſufficiant, vix tamen infima particula explicari poterit. Vtpote quæ ſenſu noſtro concipi, neque in cor hominis venire queat. Dominus gloriam,virtutem,juſtitiam ſuam cum electis participabit : imo ſeipſum illis fruendum dabit: & quod eſt præſtantius,quodãmodo in unum cum ipſis coaleſcet. Sub quo beneficio,omne felicitatis genus continetur. Intelligentes,inquit Daniel, fulgebunt ut ſplẽdor firmamenti, & juſtificantes multos tanquam ſtellæ in ſęculum,& in æternum. Beati erũt ſimiles Angelis: videbunt Deum facie ad faciem. In ipſo aſpectu tanta futura eſt amœnitas, tanta ſine vſu ſuavitas in notitia ſola, ut hæc felicitas omnia quibus nunc juvamur adminicula longè exſuperet. Sed incredulis, execratis, homicidis, & reprobis omnibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti, igne & ſulphure; quod eſt mors ſecunda. Tunc enim Chriſtus judex omnium in majeſtate ſua,& omnes Angeli cum eo, apparebit: & ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gẽtes:& ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat agnos ab hœdis: & ſtatuet agnos à dexteris, hœdos autem à ſiniſtris,dicetque rex iis qui erunt à dextris : Venite benedicti Patris mei : poſſidete paratum vobis

Dã.12.

Apo.21

Matt. 25.

regnum à conſtitutione mundi. Et dicet iis qui à ſiniſtris erũt, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus: & ibunt in ſupplicium æternum, detruſi in tenebras exteriores, ubi eſt fletus & ſtridor dentium. Mali enim, qui ſecuti fuerint mundum & Antichriſtum, ſempiternis tormentis & cruciatibus
Apo.14 adjudicati, ſine fine punientur. Siquis adoraverit beſtiam, & imaginem ejus, & acceperit carachterem ejus in fronte ſua, aut in manu ſua, hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius: & cruciabitur igne & ſulphure, in conſpectu angelorum, & ante cõſpectum agni: & fumus tormentoruui eorum aſcendet in ſæcula ſęculorum. Tradit & ſcriptura reprobos ex abyſſo, & de medio flammarum elevaturos oculos in altum, & conſpecturos eos qui cum Deo erunt in perpetua felicitate: eoſque agnoſcent, & dicent: Qui ſunt illi qui ſplendent tanquam ſtellę firmamenti? nonne ii ſunt, quos cõtempſimus tanquã quiſquilias terræ, & eos interemimus? nunc gaudio æterno fruuntur, nos autem cruciamur igne. Hac ratione ſupplicii gravitas augebitur, & pœnitentia æterna pungẽtur: Iuſti verò requiem ab afflictionibus accipient: & ultionẽ ſuorum inimicorũ læti ſpectabunt. At quia nulla deſcriptio poteſt ſatis exprimere gravitatem divinæ ultionis in reprobos, neceſſe fuit ſcripturam ſacrã, ut
ad

ad noſtrum captum ſe accommodaret, per res corporeas tormenta & cruciatus malorum figurare. Cùm dicit reprobos detrudendos juſto Dei judicio in ignem ęternum, in tenebras ubi eſt fletus & ſtridor dentium, ubi eſt vermis qui ſine fine rodit cor. His enim rebus hominum mentes neceſſe eſt horrore & metu indicibili commoveri, & turbari: cùm audiant reprobis paratam eſſe ab æterno gehennam profundam, tenebrarum caligine opacam, & torrentibus ignitis formidabilem; ejuſque nutrimẽta eſſe ignem inextinguibilem. Flatum Dei ceu torrentem ſulphuris eum ſuccendere, perpetuis doloribus, cruciatibus, & angoribus lancinari malos; & meditatione prioris felicitatis, qua in mundo fruebantur, pœnitẽtia preſſi aſſidua, ac deſperatione veniæ conficiẽtur, neque mori poterunt, cum in anguſtiis perpetuis horrendæ mortis aſſiduè retinebũtur: cogitabuntque poſt innumera millena millia annorum, ſemper principium illis eſſe ſuppliciorũ æternorum. Hac deſcriptione moveri debent omnes ad ſeriam meditationem futuræ calamitatis, & miſeriæ, quæ condemnatis parata eſt, ut ſaltem quos æternę vitæ ſuavitas ad timorem Dei, & obſervationem mandatorum ejus non poteſt commovere, metu & horrore pœnarum, a rebellione & contumacia deterreantur. Cùm ſeriò intra ſe cogitabunt quàm ſit horribile alienari à

ſocietate Dei, ejuſque majeſtatem ſentire adverſam; ut effugere nemo poſſit illius iram, quin ab ea urgeatur, & crucietur. Ad cujus judicium ita ſervient omnes creaturæ, ut cœlum, terra, mare, animalia, & quicquid eſt ubique, veluti dira indignatione adverſus reprobos inflammata, & in eorum perniciem armata ſint. Bonos autem hæc meditatio ita juvat & urget, ut in hoc mūdo cruce onerati, cum patientia toleranter Chriſtum ducem ſequantur, donec ſit Deus omnia in omnibus. Cui æternæ ſint gratiæ; quòd nos adoptavit in filios per filium ejus unigenitum Ieſum Chriſtum, per quem victoria nobis conceſſa eſt, & triumphus præparatus de peccatis, mundo, & Satana. Amen.

FINIS.



Excuſſum typis ABRAHAMI FABRI, *Civitatis Mediomatricorum Typographi, impenſis Theodori Bryi Leodienſis ſculptoris, Francfurdiani Civis*, 1596.

A01 14674-381